ERYCI PVTEANI

EPISTOLARVM SELECTARVM APPARATVS


MISCELLANEVS, ET NOVVS:

IN QVO

Præter Officia familiaria, negotia, ſtudia, varia amoris ac benevolentiæ ſignificatio.

CENTVRIA II.





ANTVERPIÆ,
Typis IOANNIS CNOBBARI.
ꝏ. IↃC. XXXVII.

Cum privilegio Regis Catholici.

ILLVSTRISSIMO V.

D. FERDINANDO

DE

BOISSCHOT,

EQVITI ORDINIS S. IACOBI,

BARONI DE SAVENTHEM,

TOPARCHÆ DE STERREBEKE,

OSSEGEM, ERPS, QVAREBBE, &c.

BRABANTIÆ CANCELLARIO,

A CONSILIIS STATVS, SANCTIORIBVSQVE

GALLICA BRITANNICAQVE LEGATIONE

INCLYTO,

GLORIÆ REGIS ET SALVTI PATRIÆ

NATO,

CVIVS MVNIA NONNISI MERITA SVNT,

AVCTORITAS NONNISI HVMANITAS,

VIRTVTVM ET ELEGANTIARVM

PVBLICO PATRONO, SVO PRIVATO,

ERYCIVS PVTEANVS

EPISTOLAS HASCE AD PLVRES,

PARTIM MAGNOS, PARTIM AMICOS,

VNI ET MAGNO, VNI ET AMICO MAGNO,

TANQVAM SCRIBAT, INSCRIBIT.

EPISTOLARVM
INDEX.

A.

B.

C.

D.

G.

H.

Hermanno

I.

N.

P.

Raphaëli

R.

V.

EPI-

EPISTOLA I.

Mediolanum.

ERYCIVS PVTEANVS

BAMELRODIVS

IVLIO ARESIO,

Præsidi.

S. D.

FRustrà cæli, Illustrissime Præses, nisi & stellæ sint: frustrà Vrbes, nisi & Viri. Vestram ego quoties ad memoriam voco, repërisse in terrâ stellas videor; aut certè viros cælo oriundos Quæ lumina! quæ decora! Sed profectò

------- micat inter omnes
IVLIVM *sidus, velut inter ignes*
Luna minores.

Vt sic loquar, suadet nomen, & res ipsa cogit. Inter viros Deus es, inter stellas sidus: & nonne Solis liceat appellationem usurpare? Spar-

git

git ſe virtutum tuarum jubar, non Alpium jugis, non regionum ſpatiis impeditum, & in remotos Belgarum fines penetrat. Ecce incaleſcimus ſub frigidis locati aſtris populi, & ab Italia priſci doctrinam exempli prudentiamque agnoſcimus: in uno viro animum, ſæculo non uno majorem. Quæ dicis, Reipublicæ cauſsâ, & facis, hac laude digna ſunt: obſervantur ab omnibus; à SACCO verò, & MONTORFANO ſtudiosè perſcribuntur. Sic enim dicis omnia, ſic facis; ut ore Apollinem, & Minervam; pectore Conſum, & Themidem exprimas. Tot etiam virtutibus accedit humanitas, quæ me potiſſimùm ſpectat, & in admirationem rapit. Me, inquam (nec fallor) quem loco jam & lare alienum, eruditione & ingenio mediocrem, tanquàm civem amas; tanquàm clarum laudas; ſed amando laudandoque oſtendis,

tuum esse. Quia igitur tuus, jam quodammodò civis, & clarus sum; & aliquam pariter stellæ imaginem assumo. Lucere incipio, sed à majori sidere: ab amore, velut igni, radios experior. Sic amer porrò, sic illustrer! grati saltem animi professione merebor hanc fortunam; ostensurus semper, à quo amer, à quo illustrer. Vale Vir Summe. Lovanii, in Arce, Kalendis Martijs, ꝏ. IↃC. XIX.

EPISTOLA II.

MARTINO PERSÆO,

Poëtæ Cæsareo.

TAndem à PVTEANO litteræ inquies: & quidem sine verecundiâ tardæ. Etenim postquàm cessare cœpi, audacia silentii crevit. Sed quid? accessit morbus, ille gravis, & diuturnus, cujus nunc etiam septus reliquiis premor, partim, quod mireris, felix, partim infelix.

Felix,

Felix, quia per justitium hoc quoddam à negotiis alienus; infelix, quia à studiis. Tam enim miserum mihi nihil agere, quando à studiis abstinendum est, quàm jucundum otiari, quando negotia molesta sunt. Nimis profectò verum est, *Vitam sine litteris mortem esse, & vivi hominis sepulturam.* At ego, an per morbum vixerim, vix equidem scio. In lectulo, tanquàm sepulchro, jacui, mortuo tamen dissimilis, quòd ad vitam essem rediturus. Nunc etiam ne prorsus ingenium torpeat, mollissimo scribendi genere me oblecto, Epistolarum. Cum amicis colloquor, quia adhuc cum libris non licet: & in illis libros invenio, quia librorum fructum. Quidni in te quoque, mi PERSÆE, qui doctissimus es, & ingenii famâ Orbem jam cultiorem imples. Sed obsecro, quàm celebris, tam mihi benignus sis. Tuas exigo Litteras, ut meo ignoscere

ignoſcere ſilentio videaris, cùm ſcribes; dabo litteras, ut commiſſum errorem diluam. Vale.

EPISTOLA III.

Mantuam Carpetanorum.

VINCENTIO MARINERIO VALENTINO, V. C.

ACcepi verò litteras tuas, & avidè, imò ἀσκαρδαμυκτὶ legi. Hem, tam effuſum te eſſe! Rivos laudas, & flumina ipſe ducis, imò hauris. Vt iſta molimina ſunt, capis quicquid elegantiarum eſt, & exundas. Sed hoc profectò mirum: è Græco fonte laticem te tam Latinum promere. Verterat ſuum hoc ipſe epigramma HEINSIVS; ſed jam nec erubeſcet tuo apud gentem togatam ore loqui. Videamus igitur reliqua feliciter ſic tranſlata, in MARINERIO HEINSIVM quoque habituri, in HEINSIO MARINERIVM. Quidni ſic ſentiam?

---- μάλα γάρ σ' ὀρόω καλόν τε μέγαν τε.

Alterum Epigramma, quo & laudes meas, & simul nomen exprimis, dum occulis, θαῦμα est. Serviunt nomini primæ cujusque dictionis litteræ; dictiones laudibus. Multum, ita me Deus, amas, qui sic scribis: sed ego facilius amoris jam exemplum, quàm scriptionis sequor. Langueo enim à molesto ac prolixo morbo, qui vires & vigorem exhausit, & me, ut sic dicam μονόγραμμον fecit. Desino, igitur: scribere, inquam, non amare. Vt utrumque tu facias, rogo. Vale.

EPISTOLA IV.

Veronam.

PETRO PAVLO VENTVRINO.

QVem ignotum, possis & nunc inhumanum appellare. Ecce ante menses aliquot litteras tuas accepi, & silui. Litteras, sed delicias, & melle suo stipatas. Tam suavis mehercle & fœcundus amor

eſt, ille honeſti fomite accenſus. Sic te verò ſcribentem, abſit ut ignotum ego dicam: humanum verò bonâ mihi fiduciâ audebo polliceri. Niſi excuſes ſilentium meum, indignus litteris tuis ſum: ut excuſes, humanitate opus. Sed ego cùm ſcribere poſſem, diſtuli; cùm vellem, non potui. Repentè enim in morbum conjectus, viribuſque imminutus, umbra magis hominis, quàm homo jacui, ac prorsùs videbar vitæ meæ fabulam clauſurus. Humanâ propemodum ope deſtitutum reſpexit Deus; vivere me voluit,& ad priſtina ingenii munia redire. Hæc aggreſſus ſum; lentè tamen ac remiſsè, quia non omnino adhuc ſerenus. Poſt tempeſtatem nubium etiam reliquiæ ſunt, liberumque Solis jubar impediunt: ſic ſe morbus habet, nunquam tam benignus, ut totus ac repentè abeat. Via ad ſanitatem

languor eſt. In hoc languore igitur ſcribere volui; ſed qualeſcumque litteræ futuræ eſſent, ſilentio meliores. Promittere volui, quicquid ab homine fideliter noto, & humano poſſis exſpectare. Vale.

EPISTOLA V.

Bruxellam.

PETRO VVEYMSIO, I.C.
poſteà in Supremâ Belgii Curiâ Senatori Regio.

REmitto LIPSI in Florum Notas. Breves, & paucæ ſunt; ſed LIPSI ſunt, & hoc ſatis ad commendationem: in Florum ſunt, & vel ideo æſtimari dignæ. Quis breviùs & ſimul pleniùs, quis ingenioſiùs & venuſtiùs tantam rerum geſtarum molem ex Antiquis repræſentavit? Aliorum conatus citeriori deinde laude ſtetit. Operæpretium ſit, ſemel hunc Scriptorem dare, qualis

qualis aliquando fuit, & adhære-ſcentes adhuc maculas criticâ ſpongiâ elutum ire. Non contemnenda ſubſidia liber Manuſcriptus; qui penes me, ſuppeditet: ex quo hoc ſpecimen depromo Lib.I.cap.XVII. legi ſolet: *Hactenus Populus Romanus bellum cum ſingulis gentium: mox acervatim, tamen ſic quoque par omnibus. Etruſcorum* XII. *populi in id tempus incitati, antiquiſſimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè conjurant.* Ecce ſanus, ut videtur, locus, vulnera ſua tegit. *In id tempus incitati*, γνήσιον mihi nequaquam eſt. Liber, *intacti*; & *Vmbri* inſeruntur: *Etruſcorum* XII. *populi, Vmbri in id tempus intacti.* Vmbros quoque ſecundo loco recenſet Oroſius, lib.III. cap.XXI. *Anno Vrbis conditæ* CCCC.L. *Q. Fabio Maximo* V. *& P. Decio Mure* IV. *Coſſ. quatuor fortiſſimi florentiſſimique Italiæ populi in unum agmen fœduſque coi-*

 verunt.

verunt. Namque Etrusci, Vmbri, Samnites, & Galli uno agmine conspirantes, delere Romanos conati sunt. Intactos verò in id tempus fuisse Vmbros, in Livio videmus, lib. IX. *Tranquillas res cum Etruscis turbavit repentina defectio Vmbrorum, gentis integræ à cladibus belli, nisi quòd transitum exercitûs ager senserat.* Gens integra, omnino intacta est. Iam quid hoc? *Antiquissimus Italiæ populus Samnitium.* Non enim Antiquissimi Samnites, sed Vmbri. Ita Plinius, lib. III. cap. XIV. *Vmbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, ut quos Ombrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus superfuissent.* Iisdem verbis Isidorus, lib. XIV. Originum cap. IV. *quòd tempore aquosæ cladis imbribus superfuerint.* Ergò ἀπὸ τῶ ὄμβρου. Sic quidem aut mendosus hoc loco Florus, aut Vmbri exprimendi: ad quos melior distinctio sententiam, atque prærogativam

vam Antiquitatis referet: *Etruſcorum* XII.*populi*; *Vmbri in id tempus intacti*, *antiquiſſimus Italiæ populus*; *Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repentè conjurant*. Rectè Samnitium reliqui, quia vis eorum jam anteà fracta. Argumentum capitis ſic quoque concipiendum eſt: *Bellum Etruſcum, Vmbricum, Samniticum, & Gallicum*. Quemadmodum in Oroſio: *Etruſcorum*, *Vmbrorum*, *Samnitium*, *& Gallorum contra Romanos conjuratio & clades*. Florum, ut vides, amo; ſed Tacitum tracto, nuper etiam brevi encomio mihi laudatum. Quo effectu AFFECTVM expreſſerim, judica: judicet Ampliſſimus Aſtrææ & litterarum Myſta CORSELIVS, ad quem ſimul exemplar adjungo. Vale, & me ama. Bruxellæ nuper fui, ſed valetudinis cauſſâ domum ſubitò redii. Si aura permittet, ſub finem anni me videbis. Iterum vale.

EPISTOLA VI.

Bruxellam.

VALERIO EVRISTIO.

LOvanium è Gugernis meis reversus, litteras tuas inveni, illas luculentas, sapientiæ & facundiæ plenas, modestiæ & candoris. Sed quid ais, & quid agis? ut quas publico mereris judicio præconioque laudes, rejicias? attrahis. Sole lucente, diem quis abscondat? Virtutes tuæ in omnium ore sunt; virtutum nequit lumen occultari. Facis laudanda, tu meus; tuus ego non sim, si taceam. Amo pulchrum, proximum est, ut celebrem. In te amo, non potest silentio affectus obmutescere: in te celebro, non potest sine encomio judicium absolvi. Multi homines videntur profectò sine animo vivere, vitam in arcâ habere: nemini nati, relinquunt morituri tandem nummorum

rum acervos, quos aliena diſcerpat aviditas ac diſſipet. Quantò melius, Fortunæ muneribus ad virtutem uti! facere quod laudem tempeſtivâ liberalitate mereatur! Vteris, facis. Sed ut ſcias ad omnes omnino Belgas beneficia tua ſpectare, ecce gratus ego omnium nomine eſſe incipio: laudando agnoſco, quæ facis; & accepiſſe videor, quæ laudo. Cogita non minùs Puteanum, quàm adoleſcentes illos tibi obſtrictos eſſe, in quos benignus es: de universâ enim gente noſtrâ & Patriâ bene mereris. Hoc agnoſcere, nullum vitium eſt; vitium potiùs, non extollere. Quare, quàm tibi honeſtum, generoſa agere, tam nobis, deprædicare: ſæpè autem, qui non laudavit virtutem, ignoraſſe viſus eſt. Satis iſta ad litteras tuas. Inſcriptiunculam verò, quia ſic placuit, in plura exemplaria typographus deſcribet. BEMBDE-

NUM, & ATHENIUM ut amare pergas rogo, & ut se amari etiam mea caussâ intelligant. Vale.

EPISTOLA VII.

Antuerpiam.

PETRO ANDREÆ CANONHERIO, V. C.

EPistolam tuam, aut potius Pandoræ pyxidem inspexi, & cohorrui. Siccine & naturæ & fortunæ malignitatem conspirasse? Robur sume, mi CANONHERI, & quia à corpore jam ægritudo depulsa est, cogita sperni posse, quicquid animo minatur. Vir es, & vetus Sapientiæ alumnus. Pati posse, primum felicitatis rudimentum est. Atque hæc Doctorum Magnorumque virorum omni ævo conditio fuit, negligi, sperni, premi. Contrà assurgit Virtus, & in gloriæ argumentum omnem sævientis fortunæ

fortunæ vim & malignitatem convertit. Clari jam multi sunt, quia miseri aliquando fuerunt. Primùm statue, te infelicem non esse, mentem tuam ab alieno nec arbitrio, nec favore regi. Si nihil ad te pertinere vel miseriam, vel injuriam putabis, numini proximus eris. An manifestius ullum divinitatis signum est? Tuo merito, non alienâ opinione tranquillitatem definies. Non quid dicant alii, sed quid ipse agas, trutinabis: lætus, intrepidus, quia rectè agis; quia ut de genere humano bene merearis, non pecuniæ, sed doctrinæ ingenium impendis. Quid verbis opus? ipsa te laborum conscientia securum facit, & supra homines tui ordinis attollit: ut sic quidem domi, & à te consolationem habeas. De Virtutibus Vini dignum industriâ tuâ opus erit: prome, & ostende, te adversitatibus non dejici: ostende, ingenium

nium tuum veluti vinum esse, & vigere; Fortunam tanquàm aquam, ac diffluere. Si Posteris verò scribis, cogita me inter illos jam esse. Admiror labores tuos, tanquàm ab alio ævo: quos faciliùs fortassis nonnemo hodie carpet, quàm præstabit, æstimandos ab eo, qui vel in parte intelliget. Vale.

EPISTOLA VIII.

Lugdunum Bat.

IOANNI MEVRSIO, V. C.

NOn suavem tantùm, sed & utilem Amicitiam tuam experior, Clarissime Vir. Ingenii namque tui felicissimi divitias mittere ad me pergis: post Orchestram Principes hos Tragicos, etiam in Reliquiis Magnos. Æstimo igitur munus, quia & ipsum magnum, quia & tu mittis. Perfice, perfice, quam promittis BIBLIOTHECAM: te secundum tot librorum velut

Auctorem posteritas agnoscet. Sanè quemadmodum non omnium olim fuit, sic scribere: ita non omnium hodie, sic colligere. Solertiâ & judicio opus, industriâ & doctrinâ: quibus omnibus jam profectò consecutus es, ut alio sęculo vitam, alio ducere calamum videaris. Quid verbis opus est? Tuo beneficio redivivam Antiquitatis, & potissimùm Græcæ, eruditionem expectamus: nec morientur ingenia, quibus tuum impendis. Plura vellem; sed breviorem me languor facit, à longo & gravi morbo adhærens. De Cometa tamen absolvere παράδοξα quædam ausus sum, ante morbum affecta; quæ ad te propediem mittentur. Obtrudam mea, vel cum famæ damno, ut tua eliciam. Vale, vive, & Æternitate, quam pulcherrimo scito ubique inculcas, fruere.

EPI-

EPISTOLA IX.

in Castra Bohemica.

CAROLO LONGEVALLIO,

Comiti BUCQUOYO.

AN interpellare audeo? sed solitâ humanitate tuâ fretus. E meâ domo, hic meus abit, ut unus è mille fiat, Ioannes Battincurius, promptus, obsequiosus, fidus. Hunc commendo, à Minervâ ad Martem, à studiis ad pericula transeuntem. Verumenimverò, infelix non erit, qui tuo ductu, auspicioq; pugnaturus est; qui quoties Imperatorem suum cogitabit, ignavus esse non poterit. Suo quoque genio excitatus est, intrepidus, ac prorsus Martialis; ut soli Militiæ excoluisse ingenium videatur. Frustrà eruditum voco; manu res gerenda est: Litterarum tamen ornamenta si laudari possunt, etiam in milite

milite placebunt. Hoc pulchrum puto, & gladium, cùm opus, & simul calamum movere. Pulchrum? imò necessarium. Hic meus: erro: hic jam tuus, scitè scribit, facundè loquitur, paratus quidvis facere & pati, quò fortis appareat, id est verè tuus. Sic tui omnes sint; fortes, inquam, ut felices sint; verè tui, ut hostem non timeant. Vale, vince, ad nos redi, qui ut fortes ac felices simus, tuâ & virtute & fortunâ indigemus.

EPISTOLA X.

Veronam.

ANDREÆ CHIOCCO,



PETRO PAVLO VENTVRINO.

ET suam bonus Amor fiduciam habet, & fiducia amorem. Ecce scribendi compendio utor, ut brevitate copiosus sim: te Clarissime

CHIOC-

EPISTOLA IX.

in Castra Bohemica.

CAROLO LONGEVALLIO,

Comiti BVCQVOYO.

AN interpellare audeo? sed solitâ humanitate tuâ fretus. E meâ domo, hic meus abit, ut unus è mille fiat, Ioannes Battincurius, promptus, obsequiosus, fidus. Hunc commendo, à Minervâ ad Martem, à studiis ad pericula transeuntem. Verumenimverò, infelix non erit, qui tuo ductu, auspicioq; pugnaturus est; qui quoties Impeatorem suum cogitabit, ignavus esse non poterit. Suo quoque genio excitatus est, intrepidus, ac prorsus Martialis; ut soli Militiæ excoluisse ingenium videatur. Frustrà eruditum voco; manu res gerenda est: Litterarum tamen ornamenta si laudari possunt, etiam in milite

milite placebunt. Hoc pulchrum puto, & gladium, cùm opus, & simul calamum movere. Pulchrum? imò necessarium. Hic meus: erro: hic jam tuus, scitè scribit, facundè loquitur, paratus quidvis facere & pati, quò fortis appareat, id est verè tuus. Sic tui omnes sint; fortes, inquam, ut felices sint; verè tui, ut hostem non timeant. Vale, vince, ad nos redi, qui ut fortes ac felices simus, tuâ & virtute & fortunâ indigemus.

EPISTOLA X.

Veronam.

ANDREÆ CHIOCCO,
&
PETRO PAVLO VENTVRINO.

ET suam bonus Amor fiduciam habet, & fiducia amorem. Ecce scribendi compendio utor, ut brevitate copiosus sim: te Clarissime CHIOC-

CHIOCCE, te Optime VENTVRINE, eâdem hâc epistolâ compello; ne tam conjunctos & amicos separem. Addo munusculum ad duos unum, & sic tanquàm ad unum. An frugalitatem meam excusabo? amplius onerare tabellarium ausus non sum. Hoc igitur non scribendi tantùm, sed donandi compendium est: quod profectò non aliter placere vobis intelligam, quàm si non sequamini. Litteræ vestræ, imò & munera (illa ingenii intelligo) numerum faciant. Tuas, & tua mittes, CHIOCCE; tuas, & tua, VENTVRINE: sic à duobus me amari sciam. Extra jocum: quia non minùs occupari hoc tempore, quàm convalescere cœpi, quibusdam velut diverticulis utendum est. In inscriptiunculis illis vigor est; imò ignis est, & amorem spirat. Nunc de Paradoxis meis judicia vestra, imò vestrorum expecto. Ingenio & do-

ctrinâ præstantem Virum ANTONIVM MELCHIOREM salvere jubeo. Valete.

EPISTOLA XI.

Antuerpiam.

CAROLO SCRIBANIO,
Societatis IESV
in Provinciâ Belgicâ Præfecto.

QVæ de Cometa nupero Paradoxa scripsi, Vir Summe, mittere ad te gestio. Ne otiosum penitùs & ignavum haberem morbum, sic occupari volui, tamque admirandum naturæ spectaculum ad litteras revocare. Statueram initio pauca tantùm Academiæ nostræ auribus committere: sed quia morbus, è nocturno natus frigore, eloquentiæ consilium abrupit, mutavi, imò auxi formam, producto in Libellos Duos argumento; quorum prior Admiranda, posterior

Timenda familiari brevitate continet. Ipsum verò Cometam scribendo imitatus sum : ille à Sole, ego à nomine tuo lumen duxi, & produxi. De morbo certè meo agere non potui, nisi ut tuum, tanquàm meum, recenserem. Hìc ingemui. Felix jam, non quia ego mihi, sed quia tu omnibus redditus es: felix, quia jam bis convaluisse videor, meâ semel, tuâ iterum ægritudine liberatus. Vale porrò : sic, tametsi ægrotem, extra morbum tamen semper ero.

EPISTOLA XII.

Bruxellam.

GEORGIO AB AVSTRIA, *Præposito, & Cancellario Lovaniensi.*

NVllam sine morbo ætatem esse, quotidiana exempla docent. Atque ego per hos aliquot menses

menses expertus sum, infringi, cùm minimè suspicêris, vitæ robur, atque debilitari. Adhuc igitur langueo, & tanquàm ægrotem ago. Interea de tuâ quoque ægritudine nunciatum, quâ non minùs affectus sum, quàm si pariter hoc meo malo malum accessisset. Respexerit verò te jam Deus, audieritque bona bonorum hominum vota. Nam tua salus, multorum est; tua vita, multorum. Quare ut vivas valeasque præ multis, multi optant: ego in multis, vel ante multos, qui me profiteor, non uno beneficio tuum esse; & hæc quodammodò tua, quæ ingenio molior. Talia Paradoxa quoque ista, ante morbum quidem meum præparata; verùm in morbo absoluta. Sic ægrotare, & quiescere simul non potui. Bene scripserim, si nihil in hoc Libro morbi invenies: bene miserim, si te jam liberatum morbo Liber inveniet. Ita

ſpero, & vitam atque robur ap-precor. Vale.

EPISTOLA XIII.

Epternacum.

PETRO RICHARDOTO,
Abbati & Toparchæ Epternacenſi.

QVis novus hic Favonius, qui flores ſpirat, & purpureo Vere horridam non anni tantùm, ſed ſæculi hiemem expellit. Pietatem THIOFRIDI tui, an Doctrinam magis admirer, neſcio. Illam ſi inſpiciunt plerique hodie hominum, frigora ſua damnent, quibus indurati ſunt: hanc verò ſi examinent, incaleſcere fortaſſis malint, quàm inclareſcere. Mihi ſanè hic liber admirandus, & verè ἀνθηρὸς viſus eſt. Dignus THIOFRIDVS, cui nova quædam, ut ſic dicam, ἀνθοφόρα dedicentur; dignus floribus, quos ſpargit. Non potuit hoc tempore magis

magis opportunum opus produci, aut utilius adornari. A te productum eſt, & quid niſi à novo THIOFRIDO? à ROBERTIO adornatum eſt, & quid niſi à novo quoque THIOFRIDO? Tua hîc pietas relucet; illius doctrina; docta pietas, & pia doctrina: ſic juncta & velut nexa, ut pium fuiſſe THIOFRIDVM, & ſimul doctum agnoſcamus. In argumento pretium eſt, in ſtilo amœnitas: Notæ ROBERTIANÆ illæ, velut roſæ additæ ſunt; pretium pretio, amœnitati amœnitas. Ecce quicquid laudo, munus eſt; quicquid æſtimo, ad me tranſmiſſum. Vt obſtrictum me fatear, munuſculum repono: non flores profectò, ſed quiſquilias, & per morbum hunc meum, in corollæ velut ſpeciem collectas. De Cometa nupero PARADOXA ſunt: an ægri ſomnia? quicquid ſit, ſic ſcribere, quàm otiari malui: & fortaſſis non

omnino vanus fui. Iudicabis, & me amabis. MICHAELEM SCHLECHTIVM quidni complecti velim? Sentiet quanti deditam virtuti atque eruditioni indolem faciam, præsertim benignitatis tuæ suffragio commendatam. Vale.

EPISTOLA XIV.

Bruxellam.

HENRICO SVCHTELENO,
Satrapæ Carpensi.

ABsentem profectò non puto, quem in litteris ad me missis cerno, & spe jam quidem lætiori erectum. Magnum hoc sanè negotium est, & animum quoque magnum poscit: talem, inquam, qualem possides. Constantiâ & integritate mereri magnorum favorem perge: aderit quoq; lenis AVSTER, & in optatum portum navem diu jactatam referet. Confide: suavior

post tempestatem tranquillitas erit, securior post periculum quies. Quis unquam navigavit, & jactatus non est? vita, mare est; curæ, undæ; nec ab uno turbine oppugnamur. Hinc invidia spirat, illinc perfidia; hinc injuria, illinc injustitia: quot venti, tot ærumnæ; quot mali, tot hostes. Sed quid? bonæ caussæ in maximo discrimine Castores affulgent, numinisque opem pollicentur. Habes clarissimæ virtutis, doctrinæ, dignitatis viros, KINSCHOTIVM, & ROSAM, lucida Belgicæ sidera, puros & incorruptos Iustitiæ ignes, Helenæ, id est innocentiæ fratres, & sic Patronos. Itaque majori jam fiduciâ cursum negotiorum diriges. Fugient venti, recedent nubes, & faventia omnia astra cælum ostendet. Tuum erit, quo animi robore iniquum Fortunæ onus tulisti; eâ moderatione è reliquiis malorum eluctari. Viri

fortis eſt, magis victoriam, quàm vindictam ſpectare: magis etiam ignoſcendo, quàm ulciſcendo deprehendes, quantum ferre potueris. Vt etiam iſtæ litium pugnæ ſunt, nemo ſine damno vincit: ſed levior, honore recuperato, fortunarum jactura eſt. Vide an mollioribus quibuſdam conditionibus remittendum ſit, ſi quid judicii exitum poſſit impedire. Vide, inquam, & otio, quod deſideras, apud me fruere. Sic reſpirare poſt tempeſtatem poteris, & in Muſarum contubernio refici. Vale.

EPISTOLA XV.

Franekeram.

HESSELO AB HERMANA, V.N.

QVod felix fauſtumque ſit, Filium habeo, qui continuò gratiſſimam tui memoriam ſuggeret. HESSELVS eſt, & ipſo nomine velut ſtimulo ad virtutem & do-

ctrinam excitari aliquando poterit. Nomine, quia pulchro, quia raro, quia tuo. Sextus hic verò filiorum est, decimus liberorum: quasi peculiari quodam mysterio hunc utrumque censeri numerum, insinuem. Senarius enim perfectus est, denarius absolutus. Ille bonitatis, hic magnitudinis symbolum habet, & quodammodò omen. Nomen ipsum à bono & magno derivatum est; & imaginem idcirco boni magnique puer referet, simul verò amicitiam nostram nunquam non loquetur. In sacro fonte BRONCKHORSTIVS vices tuas sustinuit, egregius profectò, & dignus Majoribus suis juvenis; mihi quoque hoc nunc officii vinculo conjunctus. Sed te, ô Optime virorum, quando reducem complectar? Quamdiu abes, injucundam quasi, & solitariam duco vitam: unde & difficiliùs morbi mei reliquiæ ex-

pugnantur. Veni, & me mihi redde; imò vale, ut venias. Libellum hunc meum munuſculi loco mitto: ſi tantum otii, lege; vel differ, in itinere levamen habiturus. A Clariſſimo ARGERIO litteras accepi. Amo, colo, ſaluto hunc virum, quia bonum; omneſque bonos. Iterum vale.

EPISTOLA XVI.

Embricam.

HENRICO STAPEDIO,

Soc. IESV,

Præceptori olim Suo.

NOn exulare è pectore tuo Puteanum, Optime Pater, oſtendis ipſe, indicant alii: at ego hactenus officium magis, quàm affectum deſerui; non ſcripſi, ſed amavi. Sic interdum ſine flamma ignis eſt, & velut ſepultus vivit. Omitto impedimenta alia: gravi ac diuturno op-

preſſus

preſſus morbo jacui, vitam non vitam traxi, umbræ quàm homini ſimilior. Quo in diſcrimine fuerim, ex hoc ipſo volumine intelliges, per merum languorem ſcripto. Cometa eſt, qui nuper terrere viſus: Paradoxa ſunt, nec ſcio tamen an Stoïca; munuſculum eſt, ſatis jam idoneum, ſi in ſignum excuſationis veniat. Quod ſi mireris tamen, quomodò faciliùs libri, quàm litteræ potuerint ſcribi; dixero, hoc quoque Paradoxum eſſe. Sed tu nunc, Optime Pater, libros, tanquàm litteras habe; & quàm me ames, perge oſtendere, ut ſemper ames. Sic verò age omnia, ut ſemper valeas. Vale.

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

BALTHASARI ROBIANO,

Supremo Belgicæ Thesaurario.

AMicum hunc mitto, ut de Prætura loquatur. Novit ille statum urbis, quippe Consul: & exponet, quia boni publici studiosus. Tu illum audies igitur, & pro prudentiâ tuâ expendes singula, imò pro affectu in urbem, publicumque bonum, decernes. Mutatio quidem, ut & meam ego sententiam promam, non exigui momenti est; sive illius caussâ, qui movendus; sive illius, qui admovendus. Movere à munere virum probum, exercitatum, & de quo bene boni omnes sentiunt, difficile puto: nescio enim quid sinistri, de hac novitate cives sentiant. Admovere autem meritò suspectum, hoc verè est, malam

malam hominum opinionem confirmare. Si ullibi, in eâ noſtrâ urbe boni rectores neceſſarii ſunt, ut in omnem caſum & pro Principe, & pro Religione ſimul prompti ſint. Oſtendet Princeps, non ſe urbes prætoribus, ſed prætores urbibus dare. Cives ferè ut reguntur, ſic ſe gerunt quoque. Boni erunt, ſi boni præerunt: ſed hunc bonum eſſe omnes judicant; imò boni erunt omnes, ſi non omnia utilitatis cauſsâ fieri intelligent. Ad ſummam, Vtilem Principi præturam reddi, utile cenſeo; ſed hoc diſpiciendum, ne majus deinde damnum è lucro pullulet. Ac ſanè, qui magna ſumptuum onera ſubire Præturæ cauſsâ paratus eſt, gravis multis, noxius, ſæpe iniquus erit: quicquid verò peccabit, nónne in Principem conferet? Quod ſi omnino placeat alium admovere, ſumatur ille, qui maximè ab ambitu remotus eſt, &
bonus

bonus omnibus habetur. Tum verò agendum, ut honorarium, hactenus exprætori datum, in nostrum transferatur. Ita ages, Vir Amplissime, ut novum tibi beneficium Patriæ nomine debeam; qui meo, Patriæ non semel benignus fuisti. Novum autem erit, nihil hoc tempore in Præturâ innovare. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Bruxellam.

IOANNI VILLELÆ,
Iustitiæ Militaris Summo Præfecto.

Æstimare lucubratiunculas jam meas incipio, quia desiderio tuo dignas. Mitto igitur, & à recentioribus ordior, an & à minimis? Mitto, ut post desiderium etiam judicium eliciam, hanc, inquam, de Officio Iudicis Dissertationem, hanc de Cometâ Paradoxo-

doxologiam. Leges hic quidem Puteanum, quem heroïco nuper affatu dignatus es. Et fruar ego iterum humanitate tuâ, cujus excellentem doctrinam admiratus sum. Vicisti dignitatē animo, Fortunam ingenio, Martem Minervâ; prosperumque Sagi forum arbitror, quia tam beatâ Togâ mitigatur. Quantum litteræ possint, consilia tua, judicia, imperia ostendent: hæc blanda, illa æqua, ista provida: quicquid jubebis, statues, suggeres, salutare erit. Quid dico, erit? Est. Videre hunc Solem non potuimus, nisi ut diem haberemus. Fugiunt tenebræ, recedunt nubes, & optata rerum serenitas quædam redit ac ridet. Felix Belgium te lucente! Etiam ingenia beneficio tuo caliginem effugient. Sed ego, quia in hac Dissertatione, itemque Paradoxologia legi incipiam, beneficium agnoscam. Vale, & lucere perge.

EPISTOLA XIX.

Mediolanum.

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E. *Cardinali,*

& Archiepiscopo Mediolanensi.

MAgnifici Rectoris nostri litteras, quia superiori hebdomade meis comitatus non sum, jam sequor. Scripsit ille Academiæ velut nomine, imò Vrbis; & sic meo. Vtriusque enim pars sum. Sacras petiit RELIQVIAS, & quia populi affectum repræsentavit, etiam meum. Suave autem hîc mihi, cum populo censeri: suave, colere DIVVM, quem tam multi colunt. Hoc te rogo, Magne Præsul, ut non doctrinam, si quæ est, non famam, si quæ affulget; sed solam nunc pietatem meam respicias. Placere tibi cupio, sed ut Belgæ omnes placeant. Sanè quo magis illi debebunt,

bunt, ego obstringar: debebunt omnia, qui tam carà pignora meâ caussâ accipient. Auctor igitur sum, ut in Summo potiùs urbis, quàm in parvo Arcis templo deponantur. Ecce, nego mihi pretiosissimum hunc thesaurum, ut magis inveniam: iturus ad populum potiùs, quàm ut ille ad me. Descendere mihi uni facilius erit, quàm tam multos asscendere: imò descendere mihi jucundum erit, ut ad Sanctissimi Viri Reliquias asscendam. Voti mei summa est, S. CAROLVM colere, & patronum in cælis habere, te in terris. Feliciùs sic quidem, cùm Deo visum erit, è terris in cælum migraturus. Vale.

EPISTOLA XX.

Bruxellam.

FRANCISCO PAZIO,

Archiatro Regio.

HEri litteras Clarissimo V. GODEFRIDO VVENDELENO ad te ferendas dedi; Viro, sive ingenium, sive doctrinam, sive elegantiam considerem, summo. Aliquâ jam familiaritate hæc omnia penetravi: magisque se aperuit ipse, postquàm in Arcem hanc, & Bibliothecam meam pedem intulit. Rarum hoc ævo est, Antiquitatem exploratam habere, ille habet; Historiam omnium temporum perlustrasse, perlustravit; Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ linguæ peritiam hausisse, hausit. Accedit morum magis probitas, quàm calliditas; simplicitas, quàm εὐτραπελία. Sed quàm illi facile fuit, discere omnia, tam difficile, placere omnibus.

omnibus. Coluit mentem; & sic negligere corporis curas potuit: quasi satis dives, si satis doctus esset; satis felix, si placeret doctis. Vide nunc libellum ejus de Cometâ, & varietatem rerum, subtilitatem, novitatem admiraberis. Quia à scitis Peripateticorum abit, non confidentior, sed ingeniosior est. Et nonne tamen praeire vetustiores videntur? Horum cùm reprehendisset opinionem Aristoteles, quid nisi & suam examini subjecit? Nimirum, non penetravit unus omnia: angusta quoque natura esset, nisi omnes occuparet. Nova doctrinarum, ardua semper esse, saepe odiosa, fateor: rideri ac contemni, siquis ad Mira veniat? COLVMBVS nuper, quia novum invenire Mundum voluit, desipere visus est: esse novum, nemo credebat. Sed profectò nisi fidem amentiae huic femina habuisset, quae major viris omnibus

 erat,

erat, adhuc ſe Orbis ignoraret. Cælum fortaſſis ſic jam explicari vult, & ab eo, qui admirandus eſſe non poteſt, niſi ut ineptire videatur. Sed quid? aut fallor, aut hoc eſt ſapere; non ſequi ea, quæ vulgus æſtimat. Ego quoque quia recedere ab opinione multorum auſus ſum, de Cometâ ſcripſi: neque adhuc conſilium muto. Satis iſta; quia ad Doctum, & Amicum ſcribo, quia pro Docto, & Amico. Vale.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

GERARDO CORSELIO, V. A.
à Conſiliis Sanctioribus.

NOva dignitatis ſpatia ingreſſus, Sanctioribus oſtendes conſiliis, quid ſit bene de Principe & Republicâ mereri. Huc te vocabat virtus tua, nec ſinet conſiſtere. Etenim aſſcendere cœpiſti, ut ad

ſumma perveniaș, quantò propior Principi, tantò utilior. Videbit ille te Optimum, Doctiſſimum, Prudentiſſimum, quem hactenus credidit, à faſtu, vanitate, vitiis alienum. Amabit mores, in quibus nihil reprehendet. Sed ita a Naturâ, Minervâ, Aſtræâ factus es, ut qualem optare publica utilitas virum poſſit, exprimas: agas exemplo, quod conſilio. Naturam tuam norunt Boni, Minervam Docti, Aſtræam Prudentes: ego ſanè ut te amem, laudem, venerer, Boni nomen, Docti, Prudentis uſurpabo: impendam eruditionem, ut agnoſcere tuam, & æſtimare videar. Sed quid? agnoſcendo, & æſtimando oſtendo, quantum debeam: quippe tuo adoleſcens exemplo ad virtutem ductus ſum, cùm primâ ſtudiorum libertate Lovanii fruerer; tuâ familiaritate ad amœnitatem & elegantiam, tuâ inſtitutione ad ſo-
 lidam

lidam Iuris ſcientiam, & quæ cum laude magis, quàm lucro conjuncta, docet HONESTE VIVERE, NEMINEM LÆDERE, SVVM CVIQVE TRIBVERE. Amplius in hoc præcepto eſt, quàm quicquid reſpondere omnes Iuriſconſulti poſſunt: in te eſt, quicquid hoc præcepto continetur. Vive tantùm: non enim potes, niſi honeſtè vivere. Vt nemo lædatur, ut ſuum cuique tribuatur, vitæ & auctoritatis tuæ ſuffragia efficient. Iterum vive, & meliora quoque litteris tempora dabis: mores ferociam, ingenia barbariem exuent; habebimus Iuſtitiam, qualem docuiſti. Faciat Benignitas Numinis! & ut ego magis magiſq; TVVS ſim, qui ſemper fui! Vale.

EPISTOLA XXII.

NICOLAO DANILOWICIO ZVROWIO,

Supremo Regni Poloniæ Thesaurario.

SCribendi occasionem, Illustrissime Domine, Orationes istæ præbent, quæ ad Patrem à Filiis veniunt, in Sarmatiam è Belgis. Virtutis tuæ videbis indolem: sic loquuntur qui te referunt, corpore animoque in totâ juventute nostrâ egregii; sed quia te referunt. Quis quantusque sis, è publicâ famâ scimus, & in geminâ istâ velut imagine tui videmus. Indicant hæ scintillæ originis suæ ignem, hi rivi fontem. In scintillis plenum lumen est, & coruscat; in rivis surgens copia, & fluit. Lumen, quia æthereum, extingui non poterit; nec siccari copia, quia perennis. In te, Vir Maxime, quicquid est, æthereum

& perenne est: quicquid agis, pulchrum; quia ex Virtute agis. Hinc & Thesauros Regni ita tractas, ut abundent semper, & publicæ utilitati nunquàm non pateant; ut impendantur, & crescant. Militiæ stipendia prompta sunt, Virtuti præmia, Regno felicitas. Audent omnes strenuè facere, quia nemo frustrà. Sed & exemplo eriguntur: Fortem vident; ignavi esse non possunt. Sic verò suave est, aurum ab eo accipere, in cujus manu amplius etiam ferrum splendet. Supremus Regni Thesaurarius es; sed pr̨ thesauris tibi Filii sunt: hos habere satis non est, nisi doctos, gnavos, & Reipublicæ utiles habeas. Succedunt vota: habes, quales optas; daturus Reipublicæ, qualem te ipse præstas. Hactenus peregrinati sunt; sed quia sub oculis Nob. V. ERASMI VVIERZBICKI, tanquàm sub tuis vixerunt; quia & in Academiâ hac

nostrâ,

noſtrâ, maturuiſſe quodammodò videntur. Nihil me auribus dare, Orationes hæ teſtantur, pulchræ prorsùs & politicæ, graves & maturæ, doctæ & facundæ. Quid amplius? dignæ, non in Academiâ hac tantùm, & Belgarum Scholis; ſed in Aulâ, & Comitiis Sarmatiæ audiri. Adulationis vitium proſcribitur: quid ſanctius? De Milite Externo & Interno diſputatur: quid aptius? Vtrumque PETRI tui opus eſt: De conſilio Principis agitur: quid utilius? Vera Nobilitas examinatur: quid ſpecioſius? Vtrumque STANISLAI tui eſt. Vt repetam voces meas; ſic loquuntur, qui te referunt: imò ſic te referunt, qui omnem in doctrinâ & virtute magnitudinem ponunt. Ego ut tales tibi filios, Illuſtriſſime Domine, gratularer, ſcribere hæc pauca, & his paucis comitari, ut ſic dicam, Orationes filiorum volui, ſtudia

verò mea omnia & obſequia jam delata filiis, Patri conteſtari. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Hamburgum.

GEVERHARTO ELMENHORSTIO,

V. C.

SPecimen Apulejanæ editionis accepi: ô pulchrum, & induſtriâ tuâ dignum! Cepit me ille characterum nitor, illa formæ majeſtas, illud papyri decus: quibus omnibus exornari tandem facundiſſimæ ſapientiæ ſcriptor debuit, ut vilitatem effugeret. Eò ventum eſt, ut etiam veſte cenſeamur, & à typographo pretium ingenii pendeat. Sed profectò tuum hîc oſtendis, qui alienum ornas; vincis quicquid typographi præſtant, & tanquàm vivere, imò loqui Apulejus incipiat, vitam & linguam donas. Video Philoſophum, non pallio ridiculum;

culum; ſed togâ decorum: video quem amare Litterarum omnes myſtæ poſſint. Iſti quidem præ gemmis omnibus typi ſunt; & facis AVREVM, quem fruſtrà appellamus. Error quidem, aut admiratio, ejuſmodi olim titulum dedit; & quin pulcherrimum exiſtimavit Lucii Aſinum, à pulcherrimo metallo nominavit. Sic quidem & Pythagoræ carmina, & alia multa, quæ commendari poterant, τὰ χρυσᾶ dicta. Si meo ſuffragio res geratur, ſimpliciter de ASINO, vel METAMORPHOSEON inſcribam. Vide, niſi grave, Epiſtolam meam ad LIPSIVM, Centuriæ I. trigeſimam octavam. Sed tu fortaſſis jam Notas meas, quàm Epiſtolas malis. Me miſerum! qui quod ipſe malo, jam præſtare nequeo. Notas illas, illas Bembini codicis lectiones, ante triennium quidam à me Amicus meus & Auditor accepit: an Amicus? accepit,

cepit, ut ſuppprimeret. Dederam ego, ut in lucem mox proferret. Quia igitur à Clariſſimo BRANTIO nuper tuo nomine interpellatus ſum, tabellarium cum litteris ad amicum illum, non amicum, miſi, librumque repetii. Sed quid? fruſtrà omnia: non rem, ſed verba dedit; blandus tamen, non negat, ſed procraſtinat. Deprehendo, mi ELMENHORSTI, meum non eſſe, quod tam facilè manumiſi. Et tamen adhuc urgere pergam, traditurus vel BRANTIO, vel SCHOTTO, ſi quid accepero. Delibaveram in Epiſtolarum mearum Centuriâ I. & II. Emendationes quaſdam Apulejanas, quas ut expendas, & ut opus tuum promoveas rogo: opus, ut dixi, pulchrum, & induſtriâ tuâ dignum. Oſtendes poſt Beroaldum, Stewechium, Colvium, Wouwerenum, quid ſit bene de præſtantiſſimo ſcriptore, bene de Litterarum
ſtudiis

ſtudiis mereri. Vale, & à me quoque plauſum expecta.

EPISTOLA XXIV.

Bruxellam.

ENGELBERTO MASIO,
Conſilii Sanctioris Præſidi.

IN Academiâ ago, & ex intervallo tamen quid prodeſſe Reipublicæ poſſit, expendo. Hoc ſanè eſt, occupare ingenium, ne ſine fructu conſeneſcat; & occupare munus, ne otioſum videatur. Cenſeo igitur, quod in TE Virorum Summe video: cenſeo, beatum ſemper fore rerum ſtatum, ſi ab Optimis adminiſtretur. Talem verò habemus PRINCIPEM, à quo regimur; talem te PRÆSIDEM, per quem regimur; tales quoque alios dignitate & auctoritate eminentes: ſed ut porrò habeamus enitendum eſt. Ecce in Conſilio Namurcenſi vacuum eſſe locum

locum intelligo; & hoc jam agi, ut è bonis multis optimus, ex aptis aptissimus eligatur. Quia inter Competitores nomen suum professus est Clarissimus hic inter Amicos meos Vir; eum commendo, & Optimum Aptissimumque audeo dicere; sed ut neminem deprimam. Caussas cur audeam, aliàs protuli: ne frustrà protulerim, favore tuo ostendes. Ita intelligam quoque, cogitationes meas, quibus prodesse Reipublicæ conor, gratas esse; studia verò mea etiam ad Rempublicam facere. Vale.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

GVILIELMO BERNARTIO, I. C.

Auditori pridem Suo.

SPirant amorem litteræ tuæ, & simul elegantiam. Quid dicam? feliciter sic quidem, parentē tuum, illum

illum optimum, illum doctiſſimum exprimis. Ille, quia optimus, facilis ad amorem fuit: quia doctiſſimus, elegantiam ubique oſtendit. Tu mihi ex hoc Phœnice Phœnix es: meus es, quia Solem me vocas. An neſcis avium miraculum, ſiderum ſplendori ſacrum fuiſſe? Sed non agnoſco hanc laudem. Sol non ero: tu tamen meus eris: quemadmodum tuum ego me profiteor. Fuiſti meus, ut ſemper eſſes: & in te amavi, quem refers, ut amarem ſemper. Refers illum optimum, illum doctiſſimum, quem dixi, parentem tuum: refers amore & elegantiâ, & hoc me gemino vinculo tuum facis. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

Bruxellam.

RICHARDO STANIHVRSTO,
Vicario Exercitûs.

QVicquid audacia mea peccabit, tua leniet humanitas: hanc ſanè quia brevi nuper affatu in me derivavi, liberior nunc ſcribendo ſum, & alienæ neceſſitati ſubſidium, aut potiùs virtuti præmium imploro. In eo quem vides, hæc neceſſitas, hæc virtus eſt: ipſe quidem mihi non prorsùs alienus. Primùm, quia è propinquis & cognatis; deinde, quia è bonis doctiſque. Operam Theologiæ aliquot jam annos dedit, & inſignes progreſſus fecit; Eccleſiaſtico aptus muneri, & caſtrenſi functioni. Eo ingenio, eâ doctrinâ & moribus eſt, ut vocari rogarique debeat, niſi roget. Rogat autem, ut Cohorti Silva-

Silvaducensi Mystagogus detur. Huic potissimùm, in quâ præfecti vices ejus nunc affinis gerit. Quia Affinis, pariter quod peto, petit; quia strenuus, & de militiâ nostrâ bene meritus, hoc favore dignus est. Concede quæso, quod concedi potest; & quod pariter rogamus, simul obstringendi. Concede, quod necessitati dabitur, & virtuti persolvetur. Hoc etiam erit bene de militibus mereri, qui ut fortes sint, pii esse debent: pii autem & consuetudine, & exemplo viri hujus evadent. Vale, & ut sciam audaciâ me non peccasse, petitioni fave.

EPISTOLA XXVII.

Lugdunum Bat.

DANIELI HEINSIO, V. C.

HOc agere non possumus quod agimus, Vir inter omnes eminens, nisi ut invisi multis simus. Odit hoc nostrum virtutes ævum;

odit artes, quæ virtutibus ſerviunt. Sed nobis tanti ingenium erit, quanti aliis vitium: ſpectabimus cælum, quia plerique circa terram volutantur. Tu quidem, ut pulcherrimis monumentis immortalis es, ita contemptu mortis oſtendes, quàm pauci vivant. Et an ullo argumento aſſcendere altiùs potuiſti? Hoc eſt profectò inter Deos, non homines verſari: & verè intelligis vitam, qui contemnendam eſſe mortem doces: qui, cùm ultra naturam vidêris niti, naturam nobis commendas, & communiſſimum neceſſitatis decretum. Moriuntur omnes, ſed non pulchrè omnes: timent mortem, quia perversè nonnulli vivunt; fine & exitu miſeri, quia totum iter ſiniſtrum eſt.

Οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Fortaſſis & pauciſſimos mortalium hæc Sapientiæ myſteria, hæc decreta

creta tua capient: producenda tamen, ne timuisse contemptum videaris, qui de contemptu mortis scribis. Prome, prome liquorem Suadæ tuæ, in quo invidiæ nausea amarulentiam fellis, noster candor mellis suavitatem degustabit. Mi HEINSI, ut vivere possim, discere contemptum mortis cupio: ut ἀχαρεστίαν verò inelegantis & virtutibus iniqui sæculi negligas, amicitia nostra impetrabit. Vale, ὦ ἀντάδελφον κάρα, ut tuas tibi voces reddam, & me ama.

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

CLAVDIO DOINGNIES,
Comiti De Coupigny,
Sanctioris Ærarii Præfecto.

MErus me impellit Patriæ amor, ut quodammodò vim verecundiæ meæ inferam, & con-

ſignem ſcripto petitionem, ore nuper expreſſam. Sed an honeſtiori cauſsâ pietas mea ſtimuletur? pro civibus meis, pro amicis, cognatis, propinquis Venlonenſibus loquor, muro & munimento deſtitutis. Periclitantur, qui ſic habitant; in urbe, tanquàm non urbe: digni ſanè propugnaculo, qui fortiſſimè, & jam ſæpiùs hoſtem propulsârunt. Ita res conſtitutæ ſunt, ut niſi in pace muniti ſimus, frui ſecuritate pacis non poſſimus: ſi in bellum munitio differatur, pugnam periculum antevertat. In finibus oppidum hoc ſitum eſt; & quid niſi provinciæ propugnaculum? Vulneri patet, quiſquis ſcutum negliget; & fruſtrà defendet urbem, quamvis ſine muro fortis. Sæpè & imbecillitas noſtra audentiorem hoſtem facit. Suo nos exemplo adverſarii monent: quas occupârunt urbes, muniunt; gnavi, dum otioſi. Quicquid

quid publicè utile, sumptuosum non censent. Sed opus hoc an sumptuosum appellare debeam, nescio: cœptum est, ac necessarium. Quia cœptum, absolvi debet; quia necessarium, negligi non potest. Liberè loquor, sed pro Patriâ loquor: nisi enim muniatur, periculo obnoxia est, & arbitrio, ut sic dicam, fortunæ relinqui videtur. Fortes erunt, qui non mœnia, sed pectora hosti objicient: tuti non erunt, nisi protegantur. Vt pugnare possint, locum postulant: quemadmodum autem pugnârunt hactenus, sanguine suo muros meruerunt. Vale.

EPISTOLA XXIX.

Trajectum ad Mosam.

CAROLO DE BOVRGEOIS,
Consiliario Regio.

SÆpiùs humanitati tuæ gratiam debeo, ut beneficium sæpiùs pe-

tam. Nuper ſanè in cauſsâ fratris mei, quia favere dignatus es, benignam Iuſtitiæ opem ſenſi. Et commendabam cauſſam, quæ, ut æquiſſima, ita favore tuo digna erat. Nunc interpello quoque, & auctoritatem tuam imploro, quâ, non quidem jam fratris, ſed propinqui negotium, tanquam fratris, finiatur: negotium juſtum, & interceſſione meâ hactenus adjutum atque promotum. Non jam de lite, ſed de ſententiâ litis agitur, ab Ampliſſimis Collegis tuis, Trajecti, Kalendis Septembris, anno ſuperiori pronunciatâ: quæ adverſarium plenâ, & cum legitimo fœnoris incremento perſolvendâ ſummâ condemnavit. Is verò jam diverticula quærit, & è ſuis, ut intelligo, humeris onus totum rejicit, quo ſe duodecim annorum pertinaciâ ipſe gravavit. Suam, non alienam agit cauſſam, qui ſic agit; & profectò

eludit

eludit ſententiam, qui ſic declinat. Si rectè examinamus, ſuſtinuit litem, ut injurius eſſet: dignus pœnâ, quia ſuſtinuit. Aut vincere igitur, aut ludere voluit: prorſus in ærumnas adverſarium conjicere, ut ſuum deinde collum ſubduceret, ac noceret. Facilè judicabit prudentia tua, iniquas has artes, & reprimendas eſſe. Ego pro Amico, & ſic pro juſtitiâ nunc iterum loquor: hoc ago, ut ſuum ſententia pondus obtineat. Facies, favebis, Vir Ampliſſime, & confirmabis quod pronunciatum eſt, quia rectè pronunciatum. Id ſimul ratio & exiſtimatio Collegarum ſuadet, adeoque Conſilii univerſi. Vale.

EPISTOLA XXX.

Rigam.

HERMANNO SAMSONIO,
Inspectori Scholæ Rigensis.

NOn proletariæ profectò humanitatis, Vir Clarissime, ille affectus tuus, è tam longinquo missus. Quemadmodum lucet, ita urit quoque, & in ipsa viscera mea penetrat. Primis statim verbis correptus sum, & incalui: felix, ut infelix tamen essem. Quid suavius, quàm amorem tuum videre? quid acerbius, quàm meum non ostendere? Hem, non venerat ille, qui commendatus erat: frustrà quæsitus, qui alibi substiterat. Accusabam igitur sortem meam: eò magis, quia scribendi officium alienâ culpâ impeditum. Vis & à me caussam? in gravem atque diuturnum morbum incidi, prorsusque tanquàm

quàm non viverem vixi, unius, ut ſic dicam, lineæ homo, aut imago hominis. Qualem his verſibus, quaſi ludens, adumbrâram.

Regales Crœſi vultus, & pauperis Iri
Si maciem lubeat ſub eâdem cernere formâ,
Si triſtes ſenii rugas, floremq; juventæ
Purpureum, & ventris myſtas, atque alba piorum
Ora virûm; hoc naturæ opus, hos ſine luce colores,
Corpus non corpus ſpectato; an corporis umbram?
Tantum nec Zeuxis potuit, nec pingere Apelles,
Fallacem diæ vitam qui miſcuit arti.
Ah, nimium potuit, nimium! Mors lurida, tetra,
Mors pingenda fuit: namque hac in imagine cunctæ
Sunt hominum formæ, & cunctorum hæc ultima forma eſt.

Sic jacui, & plures quidem menſes:

mortis formam vivus exhibui, ut ignavus inutilisque essem. Postquam ad me redire cœpi, & movere manu calamum, hanc de COMETA παραδοξολογίαν absolvi: quâ meliorem utcumque valetudinem testatus sum. Vide, & judicium tuum prome. Nunc pro sano ac robusto me iterum gero: impendere vocem Academiæ huic, stilum omnibus cœpi; pandere larem & pectus paratus illi bonæ matris bono filio, ut appellas, si progredi eum ad nos contingat. Vale, Vir optime, & in optimo affectu persevera.

EPISTOLA XXXI.

Mediolanum.

IO. BAPTISTÆ SACCO,
Senatui Mediolanensi à Secretis.

LEgi cruciatus tuos, Clarissime Vir, & quodammodo ipse sensi: legi ærumnam luminis, & cæcutire

cæcutire visus sum. Gravia hæc, sed humana tamen; ferenda, ut leviora fiant. Iam experiri animum tuum Deus vult; corpus affligit: te ostendit suum esse, & in exemplum velut producit. Tu ostende Deum quoque; fortis, constans, lætus esto, vel in ipsis malis. Hæc conditio & lex omnium, PATI: bonorum & sapientum, FORTITER PATI. Vincit autem, qui sic patitur; & cùm alia desunt, hoc à se quisque remedium capit. Video robur tuum: sustinuisti dolores calculi, ut post calamitatem felix esses: ejecisti, quicquid morbum faceret, ut novæ nihilominùs ærumnæ obnoxius esses. Voluit offundere sinistro nebulam oculo Deus, sed fortassis non duraturam. Sic Solem videmus impediri interdum, ut sereniorem mox vultum efferat. Diffluet, ut spero, illapsus hic humor, caliginem absterfurus. Pelli quoque opportunis
remediis

remediis poterit, ſed ſine dilatione. Dexterum jam lumen monet, ſiniſtri rationem habendam eſſe.

Nec ulla erit jactura, ſi non creverit. Valere te cupio, & fortem eſſe ut valeas.

EPISTOLA XXXII.

Bruxellam.

RICHARDO STANIHVRSTO,
Vicario Exercitûs.

QVia benigno ſemel vultu acceptæ litteræ meæ, ecce redeunt, & pro eodem hoc cognato meo & Amico intercedunt. Removit ille impedimenta, per quæ non poterat conceſſo ſtatim beneficio uti: ſed novus nunc iterum petitor adeſt, ut voti compos, bis obligetur. Obligabor ipſe, geminumque nexum profitebor: ſemel, quòd annuere commendanti benignitas tua voluit: iterum, quòd ad effectum candi-

candidissima promissa venient: promissa, quæ jam tum beneficia fuerunt. Etenim annuere, hîc erat dare: & quicquid accipiet commendatus, jam accepisse visus est: debere enim cœpit, postquàm petere. Accedit igitur, ut se tuum esse ostendat, & futurum semper; ut adipiscatur munus, quod à favore tuo profecturum sperat; & nihilominus profectum esse gaudet; semel obligatus, ut semper maneat. Ego sum, ego ero: quicquid enim meâ caussâ cognatus & Amicus obtinet, obtinere ipse videor. Vale.

EPISTOLA XXXIII.

Neostadium.

IO. PHILIPPO PAREO, V. C.

NIsi affectum tuum æstimem, Clarissime Vir, ab omni humanitate; nisi munus, ab omni elegantiâ, & his ipsis litteris alienus sum. Iam merebaris ipse affectum, priusquàm

priuſquàm munus mitteres; dignus munere potiùs aliquo meo, cui ſatis non fuit amare. Plautum igitur mittis: an obſervantiæ tuæ τεκμήριον? imò doctrinæ, induſtriæ, famæ. Eugè, Herculis viciſti labores omnes hoc labore, virtutes hac virtute. Arduum ſanè fuit, extra nubem nobis ponere Solem ipſum, & impeditum hactenus omnis elegantiæ jubar: poſuiſti; ſed ut non minùs ipſe reſplenderes. Plautus ſic tandem Plautus eſſe cœpit; quia à te expurgatus & productus: tu te PAREVM oſtendiſti. Ergo quantus hic ſcriptor, tantum profectò tuum quoque beneficium eſt, & ad omnes ſe extendit: imò tantum & nomen eſt, majoreſque omni barbarie radios ſpargit. Confide: quamdiu Socco honor Romano erit, honorem invenies, inter litterarum Heroës cenſendus: & quamdiu decima illa Muſa comœdiæ nectar fun-

der,

det, suum te velut Apollinem agnoscet: agnoscent viri omnes docti, censuræ tuæ candore Æternitatis albo inscripti. Mehercle, quia lucem Plauto fecisse dicuntur, tuo elogio, quàm ingenio suo feliciores sunt. Laudes istæ, gemmæ videntur, & libri vestibulum insigniter exornant. Sed quid? Me quoq; dignum laude habes, Vnionem inter gemmas nominas: an quia perenni aliquâ luce perfusum? Tu me facis, cùm sic nominas; tuum facis, quem sic amas: amas autem, ut illustres. Mehercle cupio porrò tuus esse, ne ignotus sim; clarus esse, ut in te quam accipio lucem regeram. Vale, & quemadmodum de Plauto meritus es, ita & de Comico Afro merere: majus beneficium his litteris nemo dabit.

EPISTOLA XXXIV.

Lutetiam.

NICOLAO PELLOQVINO, V.C.

POst longum acremque morbum, poſt itinera & impedimenta, tandem ſcribo, mi Amice, & Amicum me profiteor. Si morbum ſpectas, propemodum funus fui, penituſque corpore defeceram. Paullatim rediit vigor, etſi non omnino priſtinus ille, fortaſſis nec totus rediturus. Bene eſt, faciliùs, cùm Deo viſum erit, domum caducam deſeram: ſic quoque diſco mori. Et tamen itinera ſuſcepi ut viverem, certè ut valerem; idque è conſilio Medicorum. Quid? vivere & valere utcumque cœpi, ut impedimenta invenirem; majora etiam, quia poſt morbum. Et quæ igitur ſine nube ſerenitas eſt? Noctem evaſi, ſed ut Solem adhuc non cernerem: tempeſtatem, & mare non-

dum

dum tranquillum eſt. Quid agas? vita motus eſt, rerum & curarum undis agimur. Sic tamen tranquillos unum Sapientiæ ac Pietatis ſtudium reddit, ad Deum & æternitatem ducens. Oſtendi morbum meum, itinera, impedimenta; & nônne dignum excuſatione ſilentium arbitraris? Nunc etiam ne nuda ſcriptio ſit, juvenem iſtum tibi commendo, ut Doctorum virorum illi amicitiam aperias. Tuam appetit, commendari meretur: tu mihi inter Doctos es, aperies. Thyrſi & Cæcitas quo loco ſunt? utinam multorũ deſiderium expleas! Vale.

EPISTOLA XXXV.

Bruxellam.

ALOYSIO VEREYCKEN,

Audientiario.

ETſi quieti litteriſque deditus ſum, interdum tamen ad Rem-

 publicam,

publicam, imò ad militiam cogitationes transfero, ut ſuggeram, ſive ſuadeam, quæ cùm communi bono conjuncta ſunt. Hoc fine IOANNEM BRETOCHIUM nuper commendavi, veterem militiæ, aptumque muneri quod petit. Plures jam annos rexit ac velut formavit diſciplinâ milites, quos ſuos vellet ſacramento eſſe. Meruit centuriatum, priuſquàm peteret; nec peteret profectò, niſi meruiſſet. Nunc igitur favore opus, ſed qui virtutibus dari ſolet: tuo opus, qui virtutum cauſsâ omnia facis. In anteceſſum quoque ſuffragium Marchionis SPINOLÆ flagitavi. Is intelligit ſe fortes habere milites non poſſe, niſi duces habeat: niſi tales, qualem exercitata per omnes gradus virtus hunc ipſum commonſtrat. Neque ſiſtendus hic curſus eſt: à majori dignitate majora commoda venient; ac majori dignus eſt, qui prodeſſe amplius

plius poteſt. An adjungo? vexillum quod gerit, tui ſinet arbitrii eſſe, etiam fratrem, hactenus Commilitonem, ſi in alium oculi tui flectentur, neglecturus. Prorſus quemadmodum tuo judicio vota ſua committit; ita de alienis nihil ipſe ſtatuet. Vt plures obligentur, petit beneficium; & ne ſolus obſtrictus ſit, alienis meritis locum faciet. Ego quoque Amici cauſsâ in obligationem veniam, & quicquid militiæ bonoque publico accedet, juſtiſſimo favori tuo adſcribam. Vale.

EPISTOLA XXXVI.

Coloniam Vbiorum.

BERNARDO PVTEANO,

Iuliæ Procancellario.

POſt intervallum ſcribo, & benevolentiæ officio hunc ad te euntem virum comitor, ſatis vel ipsâ fortunâ ſuâ notum. Quemad-

modum infelicem amo, ita commendare humanitati tuæ audeo. Consilium autem meum est, ut tranquilliorem vitæ statum à thoro instaurando ordiatur. Vxorem habet, sed tanquam non habeat; illam domo, nomine, animoq; magnam. Diffidere miserum est; & quomodocumque culpam removeas, nota manet: hîc enim sive accuseris, sive accuses, reus es. Vnum remedium, Conjungi: ideò enim conjuges sunt, alter alterius, neuter suus, nisi abire quoque à seipso uterque velit, ac dividi. Romani olim, si fribusculum inter virum uxoremque natum esset, ad aram Deæ Viriplacę ibant, discordiam posituri. Romanum ritum, quidni in Romanorum adhuc Coloniâ sequamur? Ego ducere, imò impellere Virum ad Viriplacam; id est, ad auctoritatem tuam audeo, quâ permotus novo igni accendat animum, conjugemque,

ἑque, velut ſponſam denuò complectatur. Sed eâdem auctoritate opus eſt, ut maritum eſſe maritum velit, quæ ſuaviſſimum amorem felle miſcuit, ſiniſtrâ magis opinione, quàm juſtâ cauſsâ commota. Fomenta æquè accuſanda ſunt, ac principia: animique ſemel læſi, etiam leviſſimâ offenſione exulcerantur. Veniendum ad ἀμνηστίαν eſt: nec aliud reconciliationis initium, quàm obliviſci. Adnitere, Vir Ampliſſime, & felices redde, qui conjuges ſunt; ut de ipſis, de liberis eorum, totâque familiâ bene merearis. Conſpirabunt in bonam concordiam amici, & qui proximi: ſuæ pariter famæ conſulent. Sed nolo plura. Commendare ſatis eſt, cur commendem ipſa intelligis. Matrimonii felicitate inſtauratâ, componet hic noſter negotia ſua, & recto ad plenam quietem tramite ibit. Huc quoque ducent conſilia tua,

prudentia tua, benignitas tua in hunc virum, & ſic in me quodammodò derivanda. Vale, me, & obſequia mea Ampliſſimo Magiſtratui defer. Tam magnis placere, magnum mihi erit: operamque daturus ſum, ut placeam.

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

ALPHONSO CUEVIO,
Marchioni Bedmario,
Legato Regio, poſteà Cardinali.

AFfectus ille tuus in C. Cornelium Tacitum, hunc meum elicuit. Laudavi Hiſtoricum, quem ſciebam tuum eſſe, ut encomium facerem. Alii fortè quid ſcripſerim, ego cui inſcripſerim expendo; ſecurus ingenii, ſi obſequium probem. Quare ſi dicta placuit hæc Oratio, magis placebit dedicata: fama à tutela veniet. Taciti quoque

que Laudes tuæ ſunt : quicquid prudenter ille & rectè ſcribit, facis. Quaſi præſcribas ipſe, quomodò Politicæ Doctrinæ Auctorem tractent, qui boni ſunt, ne calliditate pervertantur; quomodò qui magni, ut virtutem potentiæ anteponant. Te, quàm à vitiis natura ſejunxit, & inclytæ ſtirpis honos; tam virtutibus doctrina elegantior ſociavit, aptum adminiſtrare publica, componere turbida, vincere ardua, denique pacis belliq́ue conſilia pari & animo & ingenio fulcire. Hoc fine in Belgicas à Maximo Rege Provincias Legatus veniſti, gratus Principibus, quia Optimis; imò gratus, quia quicquid laudari poteſt, adfers. Veniſti, ut tuo jam ore Rex loquatur, in te omnes Regem audiant. Libenter audient, virtus loquetur. Fructum ſimul Litterarum Heroïca oſtendet Suada tua; oſtendet quantum rebus proſit Ta-

citi familiaritas, breviter hic quidem, & publicè, in gratiam Academiæ commendata. Vale, vive: te sospite, meliores artes vigorem sument, & his artibus publica felicitas stabilietur.

EPISTOLA XXXVIII.

Lugdunum Bat.

DANIELI HEINSIO, V. C.

SCribere, cùm nihil sit quod scribas, certissimum Amoris signum est. Hic enim ut facundus sit, argumento nequaquam indiget; ut loquatur, sermonem in ipso silentio promptum habet. Dicis ergò caussâ instituant alii epistolare hoc commercium, & ad delicias humanitatem ducant: noster nobis calamus merus candor est; quot litterulæ, tot flammulæ puri Amoris. Sic nec breves sumus: in pagellâ volumen est, in scintillâ incendium. Silere etiam non possumus, quemadmodum

dum non amare. Enimverò loquitur, imò alloquitur Amicum, qui cogitat: atque hic ſuaviſſimus interdum ſermo eſt, uberiùſq; deinde ſive ſtili, ſive oris officium dilatat. Nunc tamen, tanquàm cogitem, non ſcribam, ſcribo: tu affectu ubertatem metieris. Ain' verò? Iam tua tibi iterum cordi ſtudia eſſe? jam magni Ariſtotelis libros ὕλης τῆς πραγματείας extra tenebras poni? Gaudeo: ac ſanè oportuit è mari in portum redire, à curis ad tranquillitatem. Bonæ mentis genius alimentum à quiete ſumit; prodeſſe etiam mavult, quàm contendere. Doleo verò, generoſi ſtili tui impetum ſæculi malignitate inhiberi, ut premas theſauros; quibus ſine damno publico non caremus. Cogita, in alia quoque te ſæcula natum eſſe: venturos homines, qui ſine gratia, ſine offenſa judicent. Ad me quod attinet, diſplicere qui-

buſdam non potui, niſi ut oſtenderem multorum mihi vitia meritò diſplicuiſſe. Sed neque adeò adhuc animus hic eviluit, ut moribus ævi blandiar. Quæſô, quid te deceat, vide: ſcriptionis pretio quicquid times ſuperabis. Vale, ô grande litterarum decus, & majorem te hoc ſæculo etiam atque etiam oſtende.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

PETRO PVTEANO,

Supremo Iudici Caſtrorum.

TVâ utar manu, mi PVTEANE, ut hic faſciculus deſtinetur. Tuâ, quia lubente. Certè quo cultu Illuſtriſſimum VILLELAM proſequaris, ignorare non poſſum: & nonne ipſe nuper teſtatus? nihil tum mihi ſuavius erat, quàm tanti viri laudes deguſtare; ut tu mihi lautiſſimi convivii ferculis addere condimentum

mentum visus sis. Quàm raro his intersim sacris, opinor, nosti: sed illa me mensa lætum & genialem habuit, in quâ & aures potuerunt epulari. Verumenimverò non me putabam tam robustum. Postquàm enim è gravi nuper tempestate morbi in portum redii, totâ non potui nauseâ liberari. Quid igitur sumus mortales? fragilitatis μορμολυκεῖα, miseriæ simulacra, nunc fortunæ, nunc naturæ ludibria. Sed non est meum queri: ferre potiùs, quicquid mutari nequit; & majorem corpore animum habere. Vtinam ex hac mente aliquid ad populum, & imprimis vestrum, derivem! utinam vires ille suas obsequio metiatur! Sæpe qui ab uno regi nolunt, à plurimis affliguntur. Ergò & hoc exemplum jam Bohemi ad se trahunt, rerum novarum cupidi, ut calamitates sibi aliisque provocent. Sed quid? terram cælumque

lumque misceant, major Deus est: & quemadmodum unus, ita proteri in mundo hoc inferiori imaginem imperii sui non sinet. Cæsarem volet Cæsarem esse, volet unum esse, & majorem omnibus hisce malis. Vale.

EPISTOLA XL.

Coloniam.

HENRICO SVCHTELENO,

Satrapæ Carpensi.

EXpectabam litteras tuas, & ecce meas mitto, rerum quæ geruntur non modò solicitus, sed curiosus. Scire omninò desidero, quid in re uxoriâ actum: an placari Iuno potuerit? Mihi sanè hoc thori, quàm illud fori negotium potius videtur: prorsus componendum, ut quæ solatia solent esse, tormenta esse desinant. Sed lenitate opus, & tanquam amare jam incipias. Ha-
bes

bes blanditias ; utere. Mulieribus hoc insitum, rogari volunt, cùm ultrò cupiunt : tu verò tuam tibi vindicabis. Fallor, an jam vindicasti ? Sciam igitur. Sic age omnia, ut nostri memor sis. Optimus ille vicinus noster jam adesse te desiderabat. Rebus compositis, facile erit venire : non componendis, istic manere noxium. Valetudinem tuam cura, tranquillitatem sequere : quæ finiri non possunt mala, abrumpenda sunt. Præstat enim de aliis te conqueri, quàm de te alios. Atque hic, mi SVCHTELENE, bonæ mentis, famæ, fidei fructus est. Nos, ut solemus, agimus, valemus, non omninò infelices, quia quieti: te quietum volo, ut valeas.

EPI.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

IOANNI VILLELÆ,
Iustitiæ Militaris Summo Præfecto.

TRahit me pietatis quidam ardor, ut bene de Patriâ urbe merear, certè mereri coner. Quia promptam humanitatis tuæ opem deprehendi, ſcripto nunc ago, quod nuper ſermone, & ſublevamen aliquod civibus meis peto. Civibus, id eſt Venlonenſibus, præſidio hactenus militari gravatis. Præter equites, plures adhuc peditum centurias ſuſtinent, vix ferendo oneri, quia reſpirare ne quidem per inducias conceſſum eſt. Miles morâ ac quiete in connubia pellectus, uxoribus liberiſque implevit urbem, & plus jam domorum quàm mœnium occupat. Cogita quâ paſſim conditione miſelli cives ſunt, qui in re-

rum atque fortunarum angustiis, non larem, non fœnum liberum habent: ut dubitem milites omnes, an omnes cives sint. Cives videntur milites esse; plus concedunt tecti quàm occupant, & mixti militibus habitant: imò milites videntur cives esse; & in alienâ familiâ uxoribus suis liberisque stipati, familiam faciunt. Hoc inde incommodum, quia in una urbe, qui stipendia faciunt, diutiùs commorantur. Quo etiam fit, ut si migrandum deinde, difficulter avelli queant. Ego sanè, quia pro civibus intercedo, etiam consulere militiæ videor, nisi crebrò locum mutet, marcescenti. Sed induciæ sunt, dum licet, vires resumant cives mei, & velut respirent, ut si necessitas belli urgeat, ad solita onera paratiores sint. Fretus favore tuo, bene eos sperare jussi, tanquàm centuriâ saltem unâ mox liberandos. Fac igitur,

tur, Vir æternitate dignissime, ut quantum Patriæ debeam, tuo in parte beneficio testari possim. Tuam hanc urbem esse cupio, quemadmodum ipse sum: felicem enim fore video, si tua erit; si VILLELÆ nomen, veluti conservatoris, publicè privatimq; scripserit. Scribet, scribam ego, ingeniique mei vires libens ac meritò gloriæ tuæ impendam. Vive, vale, me ama.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

GVILIELMO ATHENIO

Suo.

DE valetudine tuâ solicitus sum, mi ATHENI; meam peregrinatiunculâ autumnali confirmasse jam utcumque videor. Gelros, sive Gugernos meos visi, cælum solumque, cui originem debeo.

beo. Quid autem ſuavius? non aliâ magis hilaritate Genius meus capitur, naturâ velut affectum ſtimulante. Nunc me Arx mea iterum habet, habent ſtudia, & oblectant, ſejunctum ſic quidem à vulgo, & curis vulgi. Tutiori portu nemo quieſcat. Apud vos an ad ſerenitatem omnia redierunt? Nimia fortunæ dulcedo non ſivit quoſdam modeſtos eſſe, majora auſos, quia feliciter aliàs licentia ceſſit. Quid volunt igitur? Ventos Sole potentiores eſſe? nimirum ad Apologum veniemus. Malè mehercle cum Republicâ agitur, ubi Principis auctoritas arbitrio populari obnoxia eſt. Debentur ſubſidia quæ petita ſunt, cur moroſi aut obſtreperi ſumus? petuntur, quæ dari ſolita, cur querali aut iniqui? Neſcimus quàm benignè habeamur. Vicinos vide: libertatem ſuam ſi in comparationem adferant, premi videantur.

 Impe-

Imperant omnes, ut impendant omnia, & Reipublicæ obnoxii ſint: carent Principe, ut ſub ancipiti fortunâ gemant ſemperque metuant. Noſter hic ſtatus, ſi modò regi velimus, feliciſſimus eſt: nos infelices, niſi ſtatus conſervetur. Quod Principi datur, ad omnes redit; certè manavit à Principe, quicquid datur. Interroga nonnullos, cujus beneficio divites ſint, & ingratos deprehendes. Hoc profectò eſt, fortunam ſuam non ferre. Faxit Deus, ut ferant, ut digni quiete ſint, digni Principibus, qui tam ſedulò ac ſolicitè quietem omnium curant, vel ideo inquieti. Sed ſatis ſic iſta. Te valere cupio, quietum & felicem eſſe.

EPISTOLA XLIII.

Romam.

FORTVNATO SCACCHO,

Augustiniano,

Sacrarii Pontificii Præfecto.

MEra fragrantia epiſtola tua fuit, ſuaviſſimam humanitatis auram ſpirans, ſuaviſſimam doctrinæ. Legi Vnguenta quæ promittis, ac neſcio quâ aurâ adflatus ſim, cùm maximè vigore indigerem. Tabeſcenti ſimilis gravem trahebam morbum, & capi deliciis cœpi. Verba tua, ut verè dicam, aromata fuêre; eloquium, velut oleum. Quid? Guſtum quaſi operis calamus præfudit. Quando igitur explebo deſiderium? quando plena utilitas ad omnes veniet? Sanè poſtquàm florem vidi, hortum exigo. Iam in titulo ſe commendat opus, tam curiosè & eleganter conſti-

tuto. Omnino pulchrum corpus venusta decet facies, magnificam domum insigne vestibulum. Legi liber debet, vel priusquàm legatur, ut quâ industriâ scriptus sit, à limine innotescat. Dixerim magnam laboris partem ἐπιγραφὴν esse; sed quæ plenè & concinnè argumenti totius imaginem repræsentat. Tantus enim debet esse titulus, quantus liber est; tantum nomen, quantum volumen; istîc brevitas; hîc majestas. Itaque ἀπὸ τοῦ χρηστομαθείου καὶ ἐλαίου rectè χρηστομαθέλαια, vel rectiùs ἐλαιοχρηστομαθῆ formes. Quia etiam ad explicationem imprimis Sacrarum Litterarum faciunt, meritò SACRA inscribentur. Hæc opinio mea, sed quæ tuam sequitur, ob morbum, qui diuturnior fuit, aliaque deinde impedimenta, seriùs expressa. An dignus excusatione sum? juro Genium meum, quò missurus essem litteras, ignorabam.

Eximio

Eximio LANCELOTTO gratiam, à quo monitus sum, & non exiguo beneficio affectus. Etenim tam amicè compellari, ut jucundum fuit; ita non respondere, grave. Si permittis, Vir Summe, ostendam quàm invitus siluerim: scribam deinceps litteras, quas in præteritum computes; sed nomen tuum, doctrinam, pietatem solenni pergam officio venerari. Vale.

EPISTOLA XLIV.

Bruxellæ.

HERMANNO HVGONI,

Soc. IESV.

HVmanissimus ille Hospes meus amica injecit vincula, & quem amat, detinet. Mitto igitur famulum, ut is Chromata illa Musica à te accipiat, quibus in hoc me otio paullisper oblectem. Philomusum me nosti: sed hunc morbum, si de-

licias alii putent, profiteri apud te nequaquam erubesco. Ecce, ut amplius ægrotem, medelam posco: sed valere non possum, nisi sic ægrotem. Tu vale ingeniosissime Pater; imò ut me magis ames, sic ægrota.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

IO. FRANCISCO SLINGELANTIO

Suo.

AMœnitas in litteris tuis est, mi SLINGELANTI, quæ indolem ingeniumque nobilioris naturæ indicant. Ecce nunc te nosse incipio, postquàm videre desii: dignum profectò, quem non Amicum modò, sed familiarem habeam; & à quo haberi velim. Adesse igitur te cogita, vel ideo quia abiisti. Epistola, quoties voles, sermonem dabit: scribam ipse, tanquàm loquar; & videbor hoc quoque

que affectu ſtudia tua fovere, promovere vota. Crede mihi, ubique Muſæ ſunt, & coli ubique poſſunt: ad libros veni, & Academiam invenies. Nam ubi titulis agitur, & phaleris certatur, frequenter doctrinæ magis nomen, quàm fructus eſt. Tractant nonnulli ſcientias, ut rudes & agreſtes ſint: ſatis ſcilicet docti, ſi ornamenta deſpiciant. Et quid igitur totum illud ſcire? ſeipſum neſcire. Altiùs tu mentem eriges, nullis jam vinculis aut legibus impeditus Occupa otium, nulla melior ſchola eſt: ſed legendo & ſcribendo occupabis. A. Gellium ut percurras moneo: & ut familiari lectione Plutarchum tibi vindices, in uno volumine bibliothecam habiturus. Ille Commentarios ſuos Noctes inſcripſit: hic ſanè poterat Dies. Sed in Noctibus iſtis notes velim, Præfationem, velut facem fuiſſe; nunc verò in calce, & ſemi-

ambustam lucere. Ecce, quicquid libro xx. cap.x. post Catonis hunc versum,

Per Deos Immortales nolite vos sequestrò ponere,

etiam hodie legitur, ad vestibulum voluminis retrahendum est: ἀκέφαλον, fateor, sed tamen retrahendum. Ipse Scriptor nônne indicat? Circa meditullium: *Quaerunt autem in his Commentariis pauca quaedam scrupulosa & anxia, vel ex* Grammaticâ, *vel ex* Dialecticâ, *vel ex* Geometriâ, *non oportet ea defugere, quasi aut cognitu non utilia, aut perceptu difficilia.* In fine: *Capita rerum, quae cuique Commentario insunt, exposuimus hîc universa: ut jam statim declaretur, quid, quóve in libro quaeri inveniríque possit.* Vale.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

Lovanii.

PHILIPPO ET PETRO PAVLO GVDELINIS,

Fratribus, & Iureconsultis.

VIrum ego Magnum, & meritò, Parentem vestrum habui, Consultissimi Iuvenum; sed Virtute & DoctrinâMagnum. Vt vixit, ita docuit: & ut docuit, ita vixit, verus Iustitiæ Mysta, & incorruptus Legum arbiter. Domi privatimque expressit moribus Leges; in Gymnasio & publicè mores Legibus. GVDELINVM siquis inspiceret, exemplo erudiri poterat; siquis audiret, Iustitiæ putaret Genium loqui. Vestra hæc jam pietas est; vestro beneficio pergit, qui extinctus est, loqui; & sic à Posteris conspici. An dico? vivere pergit, qui desiit, & prodesse omnibus. Bene est:

quantum accepiſtis à Parente, redditis; & quantum redditis, denuò accipitis, Famam, velut ſecundam vitam. Prodeunt ecce ſcripta ejus, & jam in parte veſtra, quia prodeunt. Prodeunt Dictata ejus, & qui ſic legitur, adhuc docet. A PACE auſpicium eſt: & nónne ita decreverat ipſe? Iure decreverat. Etenim Pax Iuſtitiæ finis, & merces eſt, populi ſalus, Religionis teſſera, rerum & actionum humanarum corona: quam optant omnes, nôrunt pauci, merentur qui boni ſunt. Sed de PACE ſcribere potiſſimùm Parens veſter debuit, qui Pacis amantiſſimus ſemper fuit, lites conatus omnes controverſiaſque ſive privatas, ſive publicas pace & concordiâ terminare. Sic profectò civibus ſingulis, ſic Vrbi & Academiæ huic utilis, quia majora ſæpe prævidit mala, avertit. Deinde & PAX inſcribi potiſſimùm Sereniſſi-

mis

mis Principibus nostris debuit, qui exemplo boni, regimine pacifici, ostenderunt Belgarum populis, à solâ Pace bona omnia esse, dignosque pace, qui ipsi boni sunt, & se dignos Principibus præstant. Quomodò tractari verò, sanciri, conservari Pax possit, hic COMMENTARIVS docet: de IVRE PACIS est, populis commodus, Principibus destinatus, Librumque Iuris, ordine ultimum, pretio primum, DE PACE CONSTANTIÆ luculentè explicat. Vos pergite, & quos cœpistis è Bibliothecâ paternâ, tanquàm doctrinæ hereditate, thesauros promite: sic enim vestri magis fient. Pergite ostendere Posteris, quantus ille fuit, à quo estis: hoc enim erit patrissare. Valete.

EPI-

EPISTOLA XLVII.

Antuerpiam.

IOANNI MALDERO,
Antuerpiensium Episcopo.

HVmanitas tua, Reverendissime Antistes, facilem Pietati meæ locum dabit: Pietas tua excusabit, quicquid humaniter ipse facio. Ecce Asceterii Arci huic vicini patrocinium suscepi: & petere à Magnis, Divitibus, Bonis, subsidia exorsus sum, quibus extrema loci necessitas sublevetur. Sed quàm piè peto, tam facilè quoque exaudior. Primus ipse Serenissimus PRINCEPS interpellatus est, & liberali exemplo ostendit, quid fieri ab omnibus cupiat. A Sole derivavi lumen; & quidni sidera indulgeant? ideo sidera sunt. E fonte aquam hausi; & quidni è rivis petam? ideo rivi sunt. Permitte, quęso, ut quem-

admodum

admodum curæ quodammodò tuæ hic cœtus obnoxius est; ita te sidus suum, benigniore radio, te rivum suum faciliore latice sentiat. Ego adire Vrbes omnes, Proceres, Antistites, constitui: & hoc auspicium est. Omnium Humanitas tuam sequetur; omnium Pietas tuâ promovebitur. Vale, & inter Magnos, Divites, Bonos hîc mihi coli nomen tuum sine; cui æternùm obstrictus vivam.

EPISTOLA XLVIII.

Bruxellam.

IOANNI VVOVERIO, V. A. *ex Assessoribus Ærarii Sanctioris.*

INter postremos officio, inter primos affectu novam virtutibus tuis Dignitatem gratulor, Virtutes tuas Dignitati. Prorsus cum gloriâ Principis est, evehi ad hæc culmina viros, quorum & integritas nota, & doctrina

doctrina clara, & prudentia exercitata. Fuisti in Republicâ, ut Aulæ par esses: & quia dedicatam olim Sapientiæ mentem ad hoc munus adfers, magnum rebus subsidium venis. Curæ publicæ onera sunt: sed ut leviora fiant, tuos quoque humeros supponis, ostensurus à viro potiùs Dignitati accedere pretium quàm à Dignitate viro. Iunguntur sic magis thesauris litteræ, quæ & ipsæ thesauri sunt; quemadmodum Collegium istud Amplissimum non minùs viris, quàm thesauris resplendet. Video & veneror lumina, & tu novum accendis. Nolo nominare singulos: docti, culti, elegantes sunt, & quemadmodum sciunt omnia, ita negotiis sufficiunt. O felicem te nunc igitur, qui tales Collegas invenis! felix Collegium, quod te augetur! Me felicem quoque, qui in Amico patronum studiis meis nactus sum! Verumenimverò,

enimverò, ut nunc quoque Amicus ſis, poſtquam cœpiſti patronus eſſe, rogo; ut, quia cultum amori addo, ipſe affectum augeas. Ego de Stipendio Militari Romano Syntagma in lucem nunc edo: ac ſanè rem hactenus involutam explicuiſſe videor: mittam mox librum, ut de conatu judices. Vale.

EPISTOLA XLIX.

Herbornam Naſſoviorum.

IVSTO REIFENBERGIO, I. C.

BEnignè mecum agis, Clariſſime Vir, & tanquàm ab ipſis Gratiis factus, animum explicas. Neſcio profectò an laudare me volueris, ut amares; an amare, ut laudares. Non contentus ſcribendi officio, Encomium præmiſiſti; quaſi ſatis tibi notus non eſſem, niſi clarus omnibus fierem. Meis igitur ſcriptis conſecutus ſum, ut ſciri cœperim; tuis, ut illuſtrari. Omnino ad-

didiſti

didisti nomini meo famam, ut amicitia nasceretur. Sed hæc mea sive felicitas, sive infelicitas est: beneficio cumulatus eram, & adhuc nesciebam me debere: obstrictus eram, & amare nondum cœperam. Quid dicam? ingeniosius meherclè affectus tuus fuit: ut epistolam mitteret, Parodiam dictavit. Nimirum decreveras nonnisi obligatum ad familiaritatem ducere. Ductus sum; atque tam amico nihilominus affatu, ut ab epistolâ orsus videare; Parodiam affectui duntaxat stabiliendo adjecisse. O Manum tuam! ô Musam! jungo utramque: nescio enim utram prius venerer. Discrevisti utramque, ut sic magis sociares. Reddo nunc meam ecce, sed manum, non Musam: & ingenio me vinci patiar, si affectu saltem par sim. Amo, quem laudare possum: tu me laudasti, ne sine caussâ amare viderere. Perge amare,

ne

ne frustrà laudaveris: ego, ut amare me profitear, ad laudes stilum deducam. Addam ingenii munuscula, ut pariter eliciam. Vale.

EPISTOLA L.

Bruxellam.

PHILIPPO CHIFFLETIO *Suo*.

O Te benignum, mi CHIFFLETI; non indicas te amare, sed ostendis. Ergò tanti est, plures habere hostes, ut unum Amicum habeas. Vnum, sed verum; unum, sed CHIFFLETIVM qui in floridâ adhuc ætate, maturos virtutis & doctrinæ fructus profert. Sed hostes mei adhuc mihi ignoti sunt: & nonne aut timidiores, aut maligniores, quia ex insidiis conspirant. Amat calumnia latebras: erumpit, cùm nocere potest. Erumpat verò, paratum me & impavidum inveniet. Tanquàm

pulchrum & gloriosum sit, per turbines & tempestates ad portum eluctari, sustinebo quicquid Fortuna minabitur, & vincam. Non potest nisi flammam fumus, nisi famam obtrectatio dare, si fumum ignis, obtrectationem animus superat. Ignis animus est, sed ille purus ac serenus, Deo & Sapientiæ mancipatus. Deum sequor, quidni rerum humanarum securus sim? Sapientiam sequor, aberrare à tranquillitate non possum. Et quomodo? manum tu quoque porrigis, roburque addis; quo vel majori injuriæ sufficiam. Itaque parent incendium adversarii, paleas putabo; expediant faces, Puteus ero, & aquarum laticem effundam. Incalescent illæ, & tanquàm ab hoste sumant ignem, terrori erunt. Quid si dicam, jam incaluisse? Dico, sed amore tui. Vale.

EPI-

EPISTOLA LI.

IACOBO ROLANTIO,

Contubernali suo,

posteà Cursorum Antuerpiæ Præfecto.

VT à sermone ad epistolam veniam, Optime & Ingeniosissime mi ROLANTI, tam verum est, Trojam à Græcis captam esse, quàm hominem Pastorem Dearum libidinantium judicem extitisse. In cælo an deerant pulchritudinis arbitri, & in terrâ sumi bubulcus debuit? Venus igitur Helenam dedit, formæ pretium, ut maximum malum daret, & universam Priami fortunam subverteret. Quis Auctor? Homerus: Quis? natione Græcus, ingenio Poëta, fortunâ mendicus. Pleraque ficta, quæ in Iliade; ne vera putes, quæ de fine belli ingeniosè narrantur. Apud

Ægyptios olim alia longè de his rebus opinio: quibus inter alias historias antiquas, hæc quoque Trojana servabatur. Tyndarus, Spartę Rex, Castorem & Pollucem filios habuit, filias Clytemnestram Helenamque. Helena cùm pulcherrima esset, adhuc puella, rapta à Theseo Athenarum Rege. Pro Sorore Castores bellum movent, Athenas expugnant, & Helenam postliminio reducunt. Imperabat eo tempore Argivis Agamemnon, sed peregrinus. Is potentiam suspiciens Castoris & Pollucis, affinitate regnum firmatum ivit, ductâ in uxorem Clytemnestrâ. Helenam deinde fratri destinabat Menelao. Cùm de his nuptiis ageretur, plures undiq; proci adveniunt; etiam è Priami regno & domo Alexander, quem Paridem dicunt. Hic tanquàm potior potentiorque, sponsam obtinet, Asiaticam affinitatem

tatem Græcæ præferente Tyndaro. Opibus liberiſque florentiſſimum Priamum eſſe: Clytemneſtram jam nuptam Agamemnoni, ſatiſque domi præſidii haberi. Niſi hæc verò hunc in modum facta ſint, quomodò alienam Paris uxorem abduxerit? Volentem? an nolentem? Nugæ. Nuptiæ fuerunt, non raptus: maritum, non adulterum Helena ſecuta eſt. Repulſa, pro injuriâ Menelao fuit: ſed Proci ſimul Græci arma capiunt, tanquàm omnes læſi; alii ad vindictam, alii ad prædam adſpirare. Pro fratre maximè Agamemnon egit, quia metuere Alexandrum poterat. Mittuntur igitur in anteceſſum legati, qui Helenam repetant: Græcam eſſe, Græco in matrimonium deberi, non Barbaro. Quia verbis nihil impetratum, armis res geri cœpit. Sed ejuſmodi bellum facilè ſuſtinere Trojani potuerunt, quia robuſtio-

Ægyptios olim alia longè de his rebus opinio: quibus inter alias historias antiquas, hæc quoque Trojana servabatur. Tyndarus, Spartę Rex, Castorem & Pollucem filios habuit, filias Clytemnestram Helenamque. Helena cùm pulcherrima esset, adhuc puella, rapta à Theseo Athenarum Rege. Pro Sorore Castores bellum movent, Athenas expugnant, & Helenam postliminio reducunt. Imperabat eo tempore Argivis Agamemnon, sed peregrinus. Is potentiam suspiciens Castoris & Pollucis, affinitate regnum firmatum ivit, ductâ in uxorem Clytemnestrâ. Helenam deinde fratri destinabat Menelao. Cùm de his nuptiis ageretur, plures undiq; proci adveniunt; etiam è Priami regno & domo Alexander, quem Paridem dicunt. Hic tanquàm potior potentiorque, sponsam obtinet, Asiaticam affinitatem

atem Græcæ præferente Tyndaro. Opibus liberisque florentissimum Priamum esse: Clytemnestram jam nuptam Agamemnoni, satisque domi præsidii haberi. Nisi hæc verò hunc in modum facta sint, quomodò alienam Paris uxorem abduxerit? Volentem? an nolentem? Nugæ. Nuptiæ fuerunt, non raptus: maritum, non adulterum Helena secuta est. Repulsa, pro injuriâ Menelao fuit: sed Proci simul Græci arma capiunt, tanquàm omnes læsi; alii ad vindictam, alii ad prædam adspirare. Pro fratre maximè Agamemnon egit, quia metuere Alexandrum poterat. Mittuntur igitur in antecessum legati, qui Helenam repetant: Græcam esse, Græco in matrimonium deberi, non Barbaro. Quia verbis nihil impetratum, armis res geri cœpit. Sed ejusmodi bellum facilè sustinere Trojani potuerunt, quia robustio-

 res.

res. Promptos quoque caussa faciebat: Legitimi defensores matrimonii erant. Alioqui raptam reddere unusquisque maluisset, quàm in discrimen urbem, regnum, sanguinem deducere. Verumenimverò pro Alexandro pater Priamus, frater Hector, & Trojani omnes steterunt. Si rapta esset, poterat sanè post Alexandri mortem Menelao reddi, & Vrbs liberari. At verò illa Deiphobo nupsit; ut scias nullum illi maritum, nisi Alexandrum fuisse: imò nihil Græcis concessum, ut scias ad iniquum bellum profectos. Sed si alii communi hanc caussam auxilio suscepêre, cur non Castor & Pollux? Minúsne peccaverit Paris, quàm Theseus? Admiratur ipsa Helena apud Homerum, non adesse vindices fratres: quippe à quibus semel fuisset reducta. Nimirum, ne pugnarent, jam obiisse diem à Poëtâ finguntur. Sed in vivis fuisse Ca-

stores,

ſtores, cùm Helena dicitur rapta eſſe, manifeſtum eſt. Quid etiam? decennium Agamemnon impendit, ut exercitum colligeret. Hem! tamdiu expectaturos fuiſſe fratres, ad quos præcipuè hæc injuria ſpectabat? Cum ſuis proficiſci copiis poterant, & ſtatim proficiſci: reducere ſine morâ ab Alexandro Helenam, quemadmodum à Theſeo reduxerant. Prætereà, Tyndarus pater cur non cum reliquis profectus eſt Græcis, ſi filii fatis jam conceſſerant? Is vel maximè læſus erat. An ætas oberat? at Neſtore & Phœnice junior erat. Quod ajunt etiam, Menelaum Regem fuiſſe Lacedęmoniorum, falſum eſt. Tyndarus vivebat. Bellum ipſum ſic geſtum, ut nullam ſperare victoriam Græci potuerint. Plura paſſi damna, quàm intulerint, non tam obſidere, quàm obſeſſi videbantur. Acceſſit peſtilentia, fames, & ſedi-

tio inter Duces, denique clades varia ac fuga. Tandem ab Achille uno conversam belli faciem volunt: ab eo occisum Hectorem, qui contrà Achillem occidit. Iam verò quàm ridiculum, ab equo Vrbem captam; in Vrbem scilicet, ruptis muris inducto! Sed exitum videamus. Quomodò in Græciam suam Græci tandem reversi? non profectò ut victores, sed ut victi. Coacti fugere (ut breviter dicam) hieme solverant naves, quas tempestas dispersit. Sic quisque venit domum, ut mœrorem attulerit. Alius rejectus à suis, alius pulsus, alius occisus. At herclè, Trojanorum res victoriâ auctæ sunt; missusque cum classe Æneas ab Hectore, Italiam occupavit. Helenus in mediam erumpens Græciam, apud Molossos regnum obtinuit. Magnarum virium hi successus sunt. Quid igitur? Quia alia Historia

non

non erat, & Homero mendacium placuit, uni à posteris creditum est. Compendio hæc ego, & succinctè: plura, si voles, apud Dionem Chrysostomum vide, in Oratione, De Ilio non capto. Salve, &, si ita videtur, ad Amplissimum Parentem tuum, meum & Patriæ magnum decus, in quo pari laude Virtus, Doctrina, Dignitas relucent, epistolæ hujus exemplar transmitte: sermones nostros alios hinc ille, & quotidianos, colliget, imò amabit.

EPISTOLA LII.

Bruxellam.

PETRO PECQVIO,

Brabantiæ Cancellario.

AVreus iste è Iove ramus est, PHILIPPVS CHIFFLETIVS, & quod mireris, à me, & domo meâ venit. Talem ego contubernalem annon laudem? Magis etiam, quia

Virtutes tuas familiariùs veneratur. Vultum inspice, & animum notabis. Α᾽ρίγνωτοι δὲ θεοί περ. Sed tu, Vir Amplissime, auge benevolentię tuę radium, & sic complectere quem amas, ut & meâ caussâ amare videaris. Non possum id quidem rogare, nisi aliquid meritis ejus detraham, qui cùm tuo dignus sit affectu, meum possit negligere: rogo tamen, cùm modestiam ejus offensurus non sim, qui satis colere te non videtur, nisi in consortium obsequii me quoque adducat. Cupio sanè vel superfluo officio testari animum meum, ut amorem impetrem. Et nónne hoc satis? Mereri videbor, si impetrem. ENCHIRIDIVM ETHICVM mox vel mittam, vel feram; non munus, sed pignus, ut videas, Commentarios me debere. Hos persolvam, & obstrictus tamen ero. Vale.

EPI-

EPISTOLA LIII.

Lovanii, in Arce.

ALBERTO RICHARDOTO,
Domino De Barly, Contubernali suo.

QVæ aliquando in laudem Iuventutis nostræ à me scripta, Nobilissime ALBERTE, in exemplum ecce depromuntur: & quæ Avo tuo, Viro Magno, omnibusque sæculis admirando, inscripta, ad te veniunt, quasi jure quodam tua. Sive hunc autem inspicias, excitari ad verum decus potes: sive illa mea, te tibi repræsentant. Sic natus es, & eâ præditus Indole; ut Optimi Illustrissimique Parentes tui, summa omnia exspectent: sic etiam educaris & institueris, ut nisi à te abeas, ostendere possis, quid sit verè nobilem atque generosum esse. Tenella quidem hæc adhuc ætas, & velut ludens; mens tamen jam præcoci

præcoci velut maturitate litterarum capax eſt,& lingua Latinitatis. Hoc igitur εὐπαιδείας compendio diſcas, quæ ad ſermonem faciunt, rebus ſcientiiſque citiùs admovendus. Loqui, primum eſt, & uſu parari debet: ſapere, plus temporis exigit. Sed tu jam loqui cœpiſti, ut ſapere mox audeas,& prçſtare,quæ noſtro etiam ſæculo negata ſunt. Cogitabis verò te in Contubernio meo eſſe, imò in Arce Principis. In contubernio meo:quemadmodum in LIPSI aliquando ipſe Pater tuus fuit. In Arce Principis, in quâ CAROLVS ille V.ille verè ſummus,cùm adhuc puer eſſet, & educatus, & inſtitutus fuit. Alterum pium,alterum Magnum exemplum eſt: utrumque ſi amabis, parvus nunquam eris. Vt cogites igitur, hæc imago faciet, quâ BONAM INDOLEM,id eſt tuam,ego tuus deſcripſi. Vale.

EPI-

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

IOANNI DE VILLELA,

Iustitiæ Militaris Summo Præfecto.

IN ipsis studiis meis laboribusque, & Virtutem tuam, Illustrissime Vir, & doctrinam identidem mecum perpendo: etiam Munus; illud, inquam, Militare, quo profectò ad militiam ipse quodammodò ducor: non ut geram arma, sed ut lustrem, atque examinem. In Antiquitate totâ quid nisi bella sunt? Ipsa nobis Minerva Martem repræsentat. Ergò ad nostra quoque tempora & consilia revoco, quæ à Græcis olim, Romanisque gesta sunt; & præscriptas velut rerum nostrarum imagines deprehendo. Hactenus mirari soleo, cur nulla, aut exigua nobis classis sit, cùm & mare habeamus, & adversarios mari fe-

roces.

roces. Paullatim reprimendi ſunt: paullatim alliciendi, qui adferre peritiam ſimul, & ſic victoriam poſſunt. Venient ſponte, pellecti ſtipendiis, quæ à Rege majora ſunt, aut hac de cauſsâ eſſe debent. Ne dubitemus: cum lucro diſpendium erit: nec fruſtra Pericles apud Thucydidem: μέγα γὰρ τὸ τῆς θαλάσσης κράτος. Sextus Pompejus quàm gravis ſurgenti jam Auguſto & Imperio Romano fuit? Claſſe fuit, & velut novus aliquis Neptunus. Vt Rempublicam etiam fractus defenderet, in Siciliam fugit, naves collegit, Italiam infeſtavit, novumque tandem Cæſarem ad conditiones pacis coëgit. Fœdera inita ſunt, ſed ut in bellum denuò erumperent. Non poterat vinci Pompejus niſi claſſe: & ſemel iterumque impendit claſſem Cæſar, ut nihilominus vinceret. Fugavit hoſtem, & quàm potentem! trecentarum quinquaginta

ginta navium dominum, & toto mari pepulit. *Non alia post Xerxem miserabilior fuga.* Atque tum partium quoque nomen desiit. Passim se insinuant exempla, tam nova, quàm antiqua, & Mare nobis commendant. Quid? monet necessitas, ut totam belli molem usurpemus, etiam in mediâ pace. Citra cladem licet, magni tamen momenti terror erit; inferendus aliquando, quâ se invictum hostis arbitratur. Paullatim demittet animos, si navium quoque fiduciâ irruemus. Ne pudeat imitari, quos contemnere potuimus: potentia Regis, si rectè administretur, fortunam faciet. Ergò nec satis, habere classem: consilio, imperio, disciplinâ opus; ut qui regunt periti sint, & publicum commodum suo anteponant; imò, ut qui reguntur periti sint, & facili mercede, severâ lege fortes. Si res succedat, aliquo etiam fungi mu-

nere

nere possit, ille nuper à me commendatus. Eâ enim probitate & prudentiâ est, eo ingenio & doctrinâ, ut jure commendatus. Tales omnino viri sint, qui rebus admoventur, & cum fructu vires erunt. Vale.

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

REMACLO ROBERTIO, *Annonæ Militaris Præfecto.*

HActenus me typographus duxit, quicum de ANTIBOCCALINO egeram, transegeramque. Iam verò longiores etiam videtur moras nectere, nescio quibus fori pyctaciis impeditus. Itaque recepi librum: nec ille invitus reddidit, cùm à solitis nollet operibus recedere. Doleo ego alienâ culpâ obsequii mei fidem hærere: nam statim perlegi Scriptum, quod & argu-

mento,

mento, & ſtilo ſe commendat. Latinitas facilis eſt, & colores alibi ſuos habet: acrimoniam duntaxat deſidero ac vigorem. Operæ pretium verò ſit, plura BOCCALINI ad cenſuram vocari: qui cùm benè agere non poſſet, malè ſcribere voluit, & obtrectatione alienæ famæ, non tam venit ad famam, quàm graſſatus eſt. Ille quidem obiit, ſed Parnaſſi petulantia vivit; toties violari, quoties judicem Apollinem fecit. Nónne & mortuis ipſe gravis? Nimirum vivos metuebat. Ergò Amicus ille, involuto nomine SANDORANVS, nomine æterno dignus eſt, dignus appellari Magnus, qui magnitudinem CONSALVO aſſeruit. Vale, & me ama.

EPISTOLA LVI.

Huyum.

AVGVSTINO NEÆRIO,
Summo Ordinis S. Crucis Præfecto.

MAgnum æternumque hoc beneficium est, quod accipio: in merita tantæ familiæ, & sacro quodam jure, adoptari; participem, imò heredem fieri tot bonorum. Dives fio; & nihil fortunæ debeo: beatus fio, & Deo atque æternitati jungor. Ecce erigo animum salutari CRVCIS tesserâ, & jam tua signa, imò tua imperia sequor, miles ducis, filius patris. Alii verò pugnant, ad victoriam ego vocor: laborant alii, ad fructum ego venio. Vt omnia dicam, tuum me esse voluisti, & peculiari benevolentiâ complexus es. Hactenus igitur, & quidem à puero deditus Ordini tam Sacro fui; at jam mancipatus sum,

ne

ne morte quidem divellendus. Etenim extendit se ultra naturæ fines, & jura, hæc, pietas dicam, an liberalitas ? & cùm inter homines non ero, tamen inter Amicos me Ordo vester censebit. Sic quidem vivus mortuusque capiam beneficium, & cùm non ero, obstringi tamen pergam. Quid? vivere cùm desinam, mortem ignorabo. Et nónne magnum igitur æternumque hoc beneficium est? dixi: felix & æternus ero, semperque tuus. Vale.

EPISTOLA LVII.

IOANNI CONENIO,

Monasterii Tongerloënsis Priori.

FAcit humanitas tua, ut peculiari affectu doctrinam, prudentiam, pietatem, reliquasque in te lucentes Virtutes colam. Sed cùm doctus, prudens, pius sis, non potes non humanus esse. Ab istis fontibus hic rivus est, ab istis ramis

hic fructus. Nunc ne longior sim, obstrictum me fateri malo, quàm disputare quantum debeam: & gratiam dicere, quàm modum beneficii definire. Vidi & lustravi ἀσκητήριον structurâ, & magis disciplinâ, pulcherrimum. Amplius: vidi, te ducente, commonstrante, & sic magis animum voluptate imbui. Etenim captus benevolentiâ tam promptâ, captus amicâ sermonis dulcedine & elegantiâ, duci me passus sum; ut gemino simul ornamento fruerer, loci, & viri. Ornares locum, Vir Optime, nisi ornatissimus ille esset: & ornas tamen, licet omnibus ille modis resplendeat. De reliquâ hospitalitate nihil addo: magnificâ modestiâ testatus es, nomen isthic meum in pretio esse, ubi an innotuisset, poteram dubitare. Mitto nunc hæc è Germaniâ, & de Germaniâ Schediasmata; Pietatis, quæ addixi, Thau-

Thaumata propediem missurus. Ecce familiarem me reddo, & redire aliquando cupio, ut otiosiùs Bibliothecam inspiciam: redire, ut præsentem ipsum Antistitem venerer, Solem in illo cælo. Vale. Comites itineris mei officiosam S. adscribi à me voluerunt.

EPISTOLA LVIII.

DOMINICO AVENGOCHEÆ,

Senatori Regio in Curiâ Aragonum.

QVòd & SACCVM amas, & LIPSIVM laudas, satis est, ut intelligam, quid quantumque virtutibus tuis debeatur. Sed ego parum profectò amare te videar, nisi laudem; laudare parum, nisi amem: in te Saccum, in te Lipsium habeo. Elegantissima hæc epistola tua, quid aliud quàm doctrinæ prudentiæque tessera est? Stilus, quid nisi amoris thyrsus? Legi, relegi quæ scribis, & verè admiratus sum. Ad-

miratus quoque, inter magna illa nomina & familiaritatem Cruceii, Gyraldi, Rafarii, ſtudiorum tuorum flores olim adoleviſſe. Sed fructum video; imò ætatem, quaſi ab alio ſæculo video, & hoc noſtrum tuo nunc ſenio juveneſcere. Sic vivis igitur, ut nunquam moriturus ſis: & ſic me amas, ut accendas. O verè radii! è ſublimi, & tanquàm à Sole. Nimirum immemor dignitatis tuę, humanitatem ſequeris, & ad hominem alienum, atque inferiori poſitum loco venis. Si tanti litteras facis; à te evectas dixerim: tuas eſſe voluiſti, & nunc me quoque tuum. MEDICÆUS ille à me deſcriptus placuit? Conatus certè Hiſtoricus eſt, & velut ἐπίδειγμα. Irruptiones Barbarorum in Italiam aliquis fortaſſis poſteritatis favor excipiet: quod ego opus feliciter (liceat dicere) de Inſubribus condidi, ut benè de omnibus mererer. Nunc aut

carmen

carmen ex intervallo pango, aut ſalutare aliquod dogma liberiore ſtilo explico. Facile vel in ipſo otio negotium eſt; & mens cùm ſibi vacat, pulcherrimè occupatur. Vtili & laudabili labore tractat litteras, qui ſuos potiùs componit mores, quàm alienos narrat: non quomodò Principes populique vixerint, ſed quomodò vivendum ſit omnibus, ore ac ſtilo tradit. Hæc profectò vera Hiſtoria eſt; & qui ſic ſcribit, non caſsâ animum lenit voluptate aut oblectat; ſed ſolidâ implet ac roborat. Deinde ne aliunde expectet præmia, in ſe invenit: quippe virtutis & doctrinæ ſtipat opes; quæ, ut à nemine dantur, ita nec Fortunæ obnoxiæ ſunt. Te reſpicio, Vir Magne, & felicem judico. Etenim, ut bonus doctuſque eſſes, occupaſti ingenium; & ut Sapientiæ placeres, artes omnes & elegantias complexus es. His igitur

fulcris subsidiisque, securum ætatis fastigium est, securum dignitatis. Oppugnari potes, dejici non potes. Nuper etiam siquid passus es, id gloriæ accessit: & nonne tanti erat pati? Iam clarior, victis tenebris, luces; securior etiam, quia nullam amplius noctem times. Atque hoc est, virtute, non ambitu ad honores venire; innocentiâ, non cupiditate agere omnia; non minori erudi- tione, quàm dignitate esse. Adversarios quidni vinceres? jam te ipse viceras; solicitus semper, ut omnem ab animo labem & corruptelam removeres. Ergò quia bonus eras, inimicos invenisti: sed elisa & confracta calumniæ tela, verum animi tui robur ostenderunt. Sic quidem doctrina armârat innocentiam, & strictum à te stilum suis acutiorem spiculis inimici confessi sunt. Sciebant fortasse te bonum esse, sed doctum nesciebant; & sic
fiduciâ

fiduciâ malitiæ decepti sunt. Hoc nunc igitur sibi persuadeant velim, à nobis ingenium tuum coli, qui omnia virtuti deferimus; coli virtutem tuam, qui vitam omnem ingenio metimur: siquid autem in nobis virtutis, siquid ingenii, id totum famæ tuæ impensum iri. Ecce ministros habes, licet auxilio non indigeas: & nunc triumphum tuum sequimur, tanquàm ad nos quoque victoria pertineat. Vides affectum, sed quem sine elogio depromere non potui. Sanè ut lauderis, plures jam Lipsii erunt; ut ameris, plures Sacci. Ego, ego utrumque illum, ita me Deus, exprimam; imò utrumque conabor vincere. Sic Lipsius meo etiam ore loqui videbitur, quamvis extinctus: Saccus autem, qui adhuc loquitur, magis amare. Reddes vicem: laudabis utrumque illum, quia Summum; me amabis, quia tuum. Sic vale,

& ut longùm lauderis ac ameris, vive.

EPISTOLA LIX.

Romam.

IO. BAPT. AVOGADRO, V.C.

QVomodocumque ageres, Vir Doctissime, obscurus esse non poteras: ita enim in Belgarum jam conspectum venis, ut non invenias lucem, sed adferas. Prorsùs Sapientiæ deditus atque dedicatus, ne lateres, latêre voluisti: teipse scire, necui ignotus esses. Suave otium, quod cum Musis agitur: laudatum silentium, quod te famâ dignum & æternitate reddit. Sic te scribere! Sanè & acumen dictionis, & simul decus admiror. Figuntur verba tua, non cadunt; delectant, non onerant; quàm robusta, tam pulchra; quàm repentina, tam exacta. Quia mente scribis, nihil jam addi stilo potest. Vna hæc epistola tua, velut ingenii

ingenii flammula eſt, & lucet; velut gemma, & theſauros indicat. An premas igitur, aut procraſtines? VANNOZZIVS inſignis prudentiæ & doctrinæ Vir, hanc in te deprehendit felicitatem, ideoq; anguſtis non ſivit modeſtiæ limitibus circumſcribi: & tanquàm de bono publico ſolicitus, tribuendum putavit nomini tuo, quantum ingenium meretur. Ego tribuo: te, mi AVOGADRE amo, & videre tua cupio; non ut cenſeam, ſed ut laudem. In optimis enim non judicio, ſed elogio opus. Optima etiam cenſura, quæ ſola laude perfecta eſt, Vale. VANNOZZIO tuo, (& nónne meo?) ſalutem reddo.

EPI-

EPISTOLA LX.

Bruxellam.

IOANNI BEMBDENO

Suo, V. C.

NEscio an hæ te litteræ inventuræ sint. Frustra tamen malo scribere; quàm aut officio deesse, aut amori non satisfacere. Nosti simplicissimum candorem meum, & ego tuum. Nosti, nihil mihi suavius esse posse, quàm tecum philosophari. Sed magna pars hominum stulti sunt, quia sapientiam non ferunt, quia virtutem pecuniâ metiuntur. Quis verè bonus est, etiam ex illis qui videntur esse? Si ausim dicere; lucri caussâ plerique mali sunt, & manum mentemque solâ avaritiâ occupant. Paucis hoc sapientia dedit, honestum ab inhonesto segregare; vivere, non quomodò vivitur, sed quemadmodum viven-

vivendum est. Hos valere dixerim, quia ab ipso animo, sed non ægroto, ordiuntur amicitiam, & alunt; felices esse, quia aliorum infelicitatem intelligunt. Tam nobile nonne ad nos exemplum pertinet? Animo & corpore vivimus: utriusque habenda ratio est. Animum sapientiâ perge colere, & lætum facies: corpori, quæ bona valetudo exigit, indulgenda sunt; quæ malum possint reddere, subtrahenda. An brevius? sic vive, ut valeas, hoc erit sapere: sic vale, ut vivas, hoc erit felicem esse.

EPISTOLA LXI.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCHOTIO, V. A.
Supremo Belgicæ Thesaurario.

LOqui audebo, ubi silentium velut delictum est: audebo, ubi de bono publico & honore agitur

agitur Principis; auctoritatem tuam interpellare. Vectigalium redemptores, qui Mosæ commercia obnoxia sibi habent, grave & odiosum populis munus, iniquis & intolerandis planè modis exercent. Parum est exigere: etiam quæ non debentur, extorquent, & officii nomine violenti sunt. Parum est tondêre; deglubunt misellos, & alienam miseriam delicias suas habent. Privata avaritia quid nisi publicum damnum est? Sterilis navigantium numerus paullatim redditur, & ad otium fluvius venit. Plerique enim, quia oneri non sufficiunt, commercia intermittunt: alii, quia nullum lucrum est, cessare malunt, quàm vexari. Interea Batavi in rem suam attenti, & necessitate coacti, aliunde & æris florem, & alumen, & alias merces petunt; imò hoc agunt, ut in posterum carere subsidio Mosæ possint. Sic

igitur

igitur transferentur negotia, nec facilè restituenda, si cum publico damno, privatim quærere lucrum conductores pergent. Ab Vrbibus populisque Geldriæ rogatus nuper fui, ut hujus rei statum Illustrissimo Collegio vestro exponerem: quod facere tum quidem distuli, ut magis caussas mali penetrarem. Penetravi, & gravissimas deprehendi. Omitto, rem nunc quoque Fratrum meorum agi, qui ut querelas deponerent, Venlonâ huc venerunt, adversus violentas exactiones auxilium petituri. Vt benignè audiantur, rogo, & ut grassanti avaritiæ obstaculum ponatur. Aperient ipsi quid hactenus passi sint, & quid tot alii quotidie patiantur. Ego hoc negotium meum puto, quia de bono publico, & honore Principis agitur, quemadmodum dixi. Nunc autem restringi audacia debet, ut minùs noceat; donec ad antiquam

antiquam formam ratio vectigalium redigatur. Vale, & affectum meum, quo Patriæ, & Principi ſtudeo, ama.

EPISTOLA LXII.

Lugdunum Bat.

DANIELI HEINSIO, V. A.

MAgna profectò res Amor eſt, quando honeſtis radicibus coaluit: magna, Virtus, quæ Amorem gignit. Semel, ita me Deus, juncti ſumus, ne unquam disjungamur: amare in te cœpi, quod extingui nunquam poterit. Igitur quocumque vivemus fato aut ſidere, ſemel dictam Sapientiæ legem nulla convellet fortuna: in mediâ tempeſtate inconcuſſus affectus erit. Te nunc velut aſtrum quoddam non unus populus intuetur: turbent elementa, tamen lucebis; collidatur natura, tamen æternus eris. Infra te eſt, quicquid homines

homines aut timent nimium, aut æstimant, bonum suum aut malum opinione metientes. Peccent arma, in studiis hisce nostris pacem invenies; & tanquam nullum sit dissidium Reipublicæ, de Litteris utrique licebit loqui. Mentis tuæ divinitas nonne argumentum ubique præbet? Hæc nisi ametur ab omnibus, parum scitur: HEINSIVM nisi summum dicat, quisquis non omninò abjecti est ingenii, non satis novit. Ego tantum mihi tribuo, ut qui sis, & quàm rarus in totâ eruditorum coronâ, probè intelligere videar: tu teipsum æstima, ut nullius sinistro judicio impediaris. Debebatur verò Virtuti tuæ novus hic honos: sed ille à tali Rege, qui æternitatem ante oculos habet, & veram à Musis gloriam exspectat. Non poteras major esse, quam eras: vidêris nunc tamen, postquàm tuo nomine Rex ipse crevit. Crevit, in-

quam, & qui te in ſublime extulit, multos infra ſe depreſſit. De ſtipendio Militari Syntagma iſtud ad te mitto, ut legas atque examines. LIPSIVM, ubi vel maximè ingenioſus fuit, hallucinatum eſſe, plures fortaſſis mirabuntur. Vale.

EPISTOLA LXIII.

Bruxellam.

AVBERTO MIRÆO,
Sereniſſimis Principibus à Sacris.

GEOGRAPHIAM tuam ECCLESIASTICAM accepi, gratum profectò munus; quia & curioſum, & utile. Simul ſemelque repræſentas, quicquid à Sacris Infulis in Orbe terrarum regitur: nec poteſt jam tuum anguſtioribus limitibus nomen claudi. Vbicumque Epiſcopi ſunt, MIRÆVS quoque erit, ingenio, labore, doctrinâ Mirus, & jam dignus inter illos cenſeri. Amplius

eſt,

est, sic describere omnes Vrbes, quàm uni præesse. Tuus sanè calamus nihil Pedo Episcopali cedit: & corona tamen laborum (permitte ut dicam) Mitra erit. Ego in meo pulvere tenues pergo sulcos ducere, & nunc istud De Stipendio Militari Syntagmation publicabam. Inspice, si vacat: hoc velut pignore obligatum me profiteor. Vale.

EPISTOLA LXIV.

Mediolanum.

HIERONYMO BOSSIO,

Eloquentiæ Professori.

QVidni te complectar, mi Bossi, & inter Amicos habeam? Sustines munus & adornas, quod me quoque insignium tot virorum famæ adjunxit, cum ipsâ semper eloquentiâ victuræ: sustines famam, ne intermori possit. Mea hæc

quidem gloria est, successisse tam magnis: felicitas, te videre Successorem, quem magnum fore prævideo. Nam profectò non claudetur hac scholâ, aut hac fortunâ ingenii tui dignitas. Vt ætas est, flores adhuc colligis: fructum anni crescentes dabunt. Quid? Lucere incipis, plenum nominis jubar aliquando sparsurus. Quantum ipse cresces, mihi addes quoque; quem ut priorum fama provexit, ita tua suffulciet, & omnino faciet tuum. Vtriusque mihi propono facem temporis: an tenebras timeam? à præterito facundus ille MAIORAGIVS (nec plures jam recenseo) lucet: à futuro tu, Doctissime BOSSI, lucebis, & MAIORAGIVM exprimes. Non me scintillæ Suadæ tuæ fallunt, nuperâ epistolâ expressæ: ac sanè potuisti à Clarissimo TITIO, velut eruditionis titione hunc ignem accendere. Verè igitur illum

tuum

tuum nominas, olim & mihi (ſanctè dico) carum, & nunc in te colendum. Locum ejus cathedramque, à Bononienſibus denuò mihi oblatum, æſtimare debeo; capere autem hoc tempore non poſſum. Impedimenta ſunt; & vocari, quàm ire facilius eſt. Sed ubicumque ero, amabo Italiam; amabo Italorum de me judicia, conſenſu quodam velut confirmata. Accedit & tuum ſuffragium; an elogium? Epigramma, inquam, gemino Muſarum lepôre pictum. Benè eſt: amare te oſtendis, & hoc ſuave mihi. De meo autem affectu an dubites? initio dixi: te complector, mi BOSSI, & inter Amicos habeo. Vale.

EPISTOLA LXV.

Bruxellam.

FREDERICO MARSELARIO *Suo.*

DE rebus jam meis parum eſt, modò feliciter tuæ ſuccedant. Sed an in parte ſucceſſerunt? Nam Quæſtoris te Vrbani munere auctum eſſe rumor nunciat. Gaudeo igitur, & gratulor: hinc enim jam faciliùs ad communia amicorum vota aſſcendes. Præſtat paullatim, & velut per gradus evehi: ita faciliùs invidia fortunæ cedet, & publico ſuffragio præmia decernentur. Crede mihi, qui nimiùm feſtinat, nec honorum ſinit gradus eſſe, aut labi, aut laſſari ſolet: pleno itineri moderata contentio ſufficit. Præſtat etiam ad nos honores venire, quàm nos ad honores. Denique cùm mereri ſatis, accipere pulchrum

chrum est : te ipsa mox virtus ad Consulatum ducet : ac tum suave erit, à non uno munere prudentiam collegisse. Sed hæc jam dignitas nónne luculenta? quam si obtineant plerique, se beatos putent. Eos respice, ut videas quàm multos præcesseris. Præsenti sanè munere ostendes, te majori dignum esse: ostendes, te sedulum, integrumque esse, & Reipublicæ natum. Sic fuisti hactenus, sic novo exemplo alios facies, qui in te, quia altiorem, oculos conjicient. Vale, & me nunc magis etiam ama.

EPISTOLA LXVI.

Lugdunum Bat.

MATTHIÆ LEVÆO.

BEnignus es, mi LEVÆE: beneficium interpretaris, quod ego tanquam officium debui. An quis adeò barbarus, ut humanitatem peregrino neget? Sed nos quidem,

& Sapientiæ ſtudium vetat communis naturæ oblivisci. Homines omnes ſumus, eàdem origine cenſemur, eàdem conditione vivimus. Errat, qui aut ſede, aut lare Amicitiæ jura definit. Orbe terrarum juncti ſumus: ſi nec hoc ſatis, cælo. Ergò generoſæ animæ Patriam naturæ finibus claudunt; unamque mortalium omnium familiam putant, & ab uno Deo, velut Patre regi. Ne augeri affectum poſſe arbitreris, fratres ſumus; majorque ſic quidem ingenii, quàm ſanguinis nexus eſt. Sed oſtendis affectum illum tuum; quia meum æſtimas, & lepidiſſimis litteris extollis: oſtendis, ut omnia dicam, jam infra merita tua officium meum fuiſſe, quod majori humanitate beneficium appellas. In Arcem te, comiteſque tuos, juvenes præclaræ indolis, introduxi: & nónne bonis omnibus illa patet? In bibliothecam

cam quoque : & an abſcondi hic theſaurus debet? Signa vides, pectus meum occluſum non fuiſſe. Nunc etiam ut nihil tibi negem, admittere in contubernium Amicum tuum illum paratus ſum, pro quo ſcribis:nec duriori Lege,quàm quâ alii apud me utuntur, & uſi ſunt. Vale, & me amare perge. Vt CL. ELMENHORSTIVM à me ſalutes rogo.

EPISTOLA LXVII.

Bruxellam.

PETRO PECQVIO, V. A. *Brabantiæ Cancellario.*

INfra te hoc opuſculum eſt, & tamen mitto. Suſcipiet humanitas tua, quod eruditio deſpiciet. Diſplicebit pecunia, ſed Romana tamen placebit. O quantò facilius eſt,ſcribere, quàm poſſidere! an & addo: quantò melius! Pauci qui-

dem sic philosophantur. Ea autem tempora sunt, ut nisi quis nummos habeat, carere ingenio videatur. Ego, quos non habeo, scripsi. Sapui igitur, & fortassis desipui. Sed juventus tamen hanc mihi debebit gratiam, numerare incipiet. Vale.

EPISTOLA LXVIII.

Coloniam.

IACOBO MERLO HORSTIO, *Populari suo.*

OFficium affectu suppleo, mi HORSTI, & adyta pectoris mei pando, quæ penetres. Si me nosti, tuus sum. Nam profectò amore me fecisti tuum. Accedunt litteræ, & amorem spirant, tam elegantes & doctæ, quam humanæ & verecundæ. Ita scribis, ut stili ingeniique vigorem admirari cogar: ita verò librorum meorum extollis Genium, ut exprimas. Omnino ad dicentem

dicentem encomia redeunt.: & te vicissim laudo, ut mutui caussam amoris videas. Laudo sub eodem cælo natum, ab eodem Præceptore institutum, pari indole præditum. Vnde si Patriam spectamus, facilis amicitia est; si Scholam, sancta est; si Naturam, necessaria est. Nos autem Schola ad Naturam, Natura ad Patriam ducit: huic prodesse, maxima charitas est. Faciamus, sed Litterarum amœnitatibus, quas ut ego humanæ, tu divinæ perges Sapientiæ sociare. Perges, inquam, ut verè magnus sis, & Deo dignus, imò, ut inter homines quidam velut Deus. Οἱ πεπαιδευμένοι τόσου διαφέρουσι τῶν ἀπαιδεύτων, ὅσου θεὸς τῶν ἀνθρώπων. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXIX.

Bruxellam.

CHRISTOPHORO DE BENAVENTE ET BENAVIDES,

Summo Militiæ Regiæ Censori.

PLacuiſſe libellos meos vehementer gaudeo. Sed exiguum hoc affectûs cultuſque mei ſignum eſt, & majoris, ut ſic dicam, muneris auctoramentum. Hoc ago, ut tota ingenii mei ſupellex in Muſéo tuo ſit, & Puteani nomen memoriamque ingerat. Quid autem gloriofius, quàm à tam magno legi, cùm vel à Solo legi, famam putem. Sanè in ſummis negotiis menti vacare, in Ampliſſimâ dignitate elegantem, amœnum, doctum eſſe, rarum eſt. Intelligis quænam ſolida rerum omnium fulcra ſint, & uſurpas. Ergò alii, ut rectè emineant, exemplum tuum ſequentur: ego, ut

cum

cum fructu tractem litteras, industriam tuam imitabor. Quàm multa lecta, scripta, observata habes! ut in floridâ hac ætate nihil ignorare videaris. Sermonis tui nuperi oblivisci non possum, quâ prudentiâ & sapientiâ, eâ humanitate temperati. Quia verò humanus es, amare me voluisti; quia prudens, & sapiens, eligere potuisti, quem amares. Vnde quemadmodum affectu judicantis beatus sum: ita judicio amantis triumpho. Quid etiam? mittis litteras, ne leviter amare, ne temerè judicare videaris. Vale.

EPISTOLA LXX.

Veronam.

ANDREÆ CHIOCCO, V. C.

DE silentio meo cur severiùs statuas? Amorem inspice, nullo vitio labefactatum. Ingenuè vis dicam?

dicam? in pectore mihi nomen tuum sculptum est: & nónne meum in tuo?

---- οὐδ' ἄμμε διακρινέει φιλότητος
Ἄλλο, πάρος θανάτοιο μεμορμένον
ἀμφικαλύψαι.

Sic semel statue, & meo damno fieri, si non scribo quæ legas; meo dolore, si non legam quæ scribis. Ergò ampliùs apud me occupatiunculæ interdum possunt, quàm deliciæ: quippe hæ pelliciunt manum, illæ abstrahunt. Te compellare litteris, deliciæ sunt; à te compellari, voluptas mera. Quid etiam? effecisti scribendo, ut silere potuerim: dedisti voluptatem, quæ delicias omnes vincat. O doctrinam tuam! ô elegantiam! sed cùm ævum hoc nostrum superes, cum Antiquitate potes decertare. Ego te suspicio, & quia amor, non jam humiles animos gero. Ego te: tu magna, sublimia, æterna: quemadmodum

modum in pulcherrimo ſcito tuo lego.

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ' ἐπιλήθεο πάντων.

Atque hoc profectò eſt, magnum, ſublimem, æternum eſſe. Ergò cùm lucubratiunculas meas legis, humanus es, & de faſtigio ingenii tui deſcendis: cùm laudas, aliquid laudi tuæ detractum is. Si tanti verò eſt, amicum me habere, faxo videas tam facilè à me libellos, quàm litteras mitti. Nunc quidem oculos tuos oratione iſtâ ſacrâ implebo, incluſurus proximo faſciculo, Quæ De Stipendio Romano ſcripſi. Ad Politica jam reverſus ſum, & Simulacrum paro, quo Imperii arcana repræſententur. Geniales ſermones meos in Amœnitatibus invenies, ſive ſecundo operum tomo. Hunc, alioſque à BONERO meo VENTVRINVS accepit: qui ſi tam inhumanus eſt, ut mea tibi neget,

ne mihi quidem amicus esse potest. Sed longior sum, & sic utcumque diluisse silentium videor. Vale.

EPISTOLA LXXI.

Coloniam.

CONRADO BVTGENIO.

DEbeo & litteris, & munusculis tuis, mi BVTGENI, amicè & liberaliter ad me missis. Nihil respondi hactenus; quia imperfectum erat negotium, procurari à me cœptum: nihil etiam reddidi; quia editionem libelli hujus exspectabam. Ecce quicquid meruerunt olim Rerum Domini hîc habes: & totum hoc tamen verbis absolvitur. Sequetur & Pecuniæ Veteris Ratio, ad nostram revocata. Numero, quos alii possident nummos; & ingenii censu audeo liberalis esse. Sed tu quæ mittis volo æstimes: persoluto pretio, accepisse, nihilominùs beneficium erit. Vt rem

scias:

ſcias : è tuâ etiam officinâ augere Bibliothecam meam conſtitui. Et alii ſuam, ſi ad Encænia noſtra liber librorum commeatus erit. Pergam operam ego dare, ut ſit. Sed dabis viciſſim hoc amicitiæ noſtræ, quod obnixè peto. Ex itinere rectà ad Arcem noſtram venies; & hoſpes meus eris. Venies, inquam, & Germanum candorem invenies. Meo utêris lare : ita enim tuum mihi patêre intelligam. Vtar aliquando tuo, ſi meum non neglexeris. Vale.

EPISTOLA LXXII.

Antuerpiam.

HVGONI GROTIO, V. C.

IN communi Bonorum omnium gaudio, Clariſſime Vir, ſegnem eſſe calamum meum non ſino. Vt amicum me oſtendam, ſcribo, & hoc benevolentiæ ſigno tuum pariter audeo affectum provocare. Carcerem ſi cum morte comparas,

videri poſſis ex te jam natus eſſe, ſalutem & libertatem à teipſo adeptus. Evadere, parùm erat; GROTIVM decebat ingeniosè evadere. Et quantò hoc pulchrius, quàm liberari! quantò laudabilius, ſuo ingenio, quàm alieno ſuffragio ſalvum eſſe! Vt nihil cuiquam deberes,

----- *mediis elapſus Achivis*,

te tibi vindicaſti: liberari autem non poteras, niſi ut grave eſſet beneficium, quod ab inimicis accepiſſes. Sed quomodò acciperes? nullum exſpectabas. Carceri, non morti mancipatus eras, ut ſæpiùs morereris: ſola te ſævitia vivere voluit, ſed ne inter vivos eſſes. Quid igitur? hac ad vitam viâ redeundum erat: moriendum ſæpiùs, ut tandem viveres, ac liber eſſes. Aperuiſti exitum, ubi clauſa omnia erant: & quis crederet in ciſtâ hominem latitare? Sic elatus, videri funus poteras, niſi quòd è ſepulchro veniebas.

veniebas. Mirentur omnes: totus in cistâ GROTIVS non erat: in cistâ corpus, in navi cista, in amne navis; in his omnibus, & extra hæc omnia esse mihi visus es: mundum impleveras. Itaq; custodiri in carcere corpus tuum potuit, ingenium non potuit. Clausus muris, cinctus custodiâ, obsessus satellite, ostendisti in ipsis te angustiis liberum esse, nullum Virtuti obstaculum objici. Macte Vir Magne, plus paucis horis fecisti, quàm toto triennio passus es, eorum elatus manibus, qui maximè custodire annisi sunt. Totum esse libros crediderunt onus, nec falsi: tuo enim ingenio Bibliotheca constat. Ergò doctum omnes clarumque dicunt: ego fortem, non salute tantùm, sed gloriâ & æternitate dignum. Nónne scripsisti antè quod alii fecerant? scribent alii quod nunc fecisti ipse, cum Dædalo velut comparandus. Illum

 alæ,

alæ, te libri ex carcere extulêre, tanquàm alæ: ille ſimul eduxit filium, ſed ut perderet; tu reliquiſti conjugem, ſed ut ſervares. quippe ferre carcerem illa tuum non poterat; ſuum jàm, te ſalvo, poteſt. O verum conjugium, ſic diſjungi! Læta eſt, quòd libera eſſe deſiit: certè digna, ut in libertatem veniat. Confide, veniet; nec ullum declinabit exilium, quæ carcerem non exhorruit, Patriam in exilio, quia maritum, habitura. Agnoſcis ipſe, non eſſe Patriam, quam fugias; fugiendam eſſe, quæ ſe novercam fecit. Exilium carcere melius eſt: evadere è carcere non potuiſti, niſi ut in exilium ires. Reſpice miſeriæ tuæ ſcenam: qui amici, hoſtes erant; ut ad hoſtes, tanquàm amicos te conferres. An Themiſtoclem propono? ad Xerxem ivit, in Athenienſes ſuos non peccavit; Athenienſes in Themiſtoclem. Sed exemplis nolo

agere;

agere; rogo potius, ut tuum inter exempla venire nomen patiaris. Scipionis jam morituri, & semper victuri dictum est, an exprobratio? *Ingrata Patria, ne ossa quidem mea habes.* Expende, quid feceris, & quid passus sis; merita, & præmia: Boni omnes quemadmodum explorata utraque habent; ita favere libertati tuæ, studere commodis & incolumitati non desinent. Sed quid est? ingenio transscendisti communem hominum conditionem, ut Fortunam, & quicquid hinc pendet, generosè despiceres. Itaque conquerantur alii, se post naufragium nudos esse, & opibus excidisse; tu in te opes omnes habes, nulli injuriæ, nulli violentiæ obnoxias. GROTIVS es, Magnus es, & hoc satis, ut intelligas, nihil tibi deesse. Patriam si amas, *Hic amor, hæc Patria est:* ejusdem cæli benignior serenitas, ejusdem Soli amœnior ubertas, eo-

rundem hominum tranquillior ſtatus. Quid ſe jactant unius alteriúſve provinciæ populi? & nos Belgæ ſumus, liberi ſumus, ſub uno Principe, ſed quem Patrem appellamus. Aliud frenum, aliud jugum eſt: regimur, non affligimur, &, ut diſcordia exulet, multorum imperium averſamur. Omnis Antiquitas clamat: Εἷς κοίρανος ἔςω, Εἷς βασιλεύς: imò tua nobis Fortuna clamat, nullam, ubi populus furit, ſine diſcrimine ſtationem eſſe; nullum ſine naufragio portum, ubi divina omnia & humana colliduntur. Quæ iræ! quæ odia! Vbi quies, aut felicitas? Quantum aquarum, tantum ubique ignis & incendii eſt: furiis ardere dixerim ipſum illud mare. Te Deus eripuit, mentem & conſilium ſuggeſſit, quo ſalvus eſſes. Quid reſtat? hoc age, ἕπου θεῷ. Is ſervabit porrò, & quemadmodum, eluſis inimicis, in libertatem te aſ-

ſeruit;

ſeruit; ita ſecurum deinceps ac felicem præſtabit. Sic voveo, teque videre cupio & amplecti. Veni, non longa via eſt, & in hac Arce & amœnitate vigorem cape: dices te in Parnaſſo reſpirare. Offero dexteram, & eam hoſpitalem, offero officia, quæ à vero amico exſpectari poſſunt.

Εὐεργέτεις δέ με πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν,
ὥσπερ ἄπεφθον
Χρυσὸν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν τετριμμένον
βασάνῳ.

Vale, & quod iterum rogo, veni.

EPISTOLA LXXIII.

Veſontionem.

IO. IACOBO CHIFFLETIO,
V. C.

LItteræ mihi tuæ, tanquam deliciæ fuêre: ut omnia dicam, quia tuæ. Vidi, non quidem vultum, ſed animum illius, qui nulli

jam ignotus eſt, & apud omnem poſteritatem loquetur. Excellens es, &, ut Homeri illud uſurpem,

------ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Excellens Virtute, Doctrinâ, Humanitate. Virtutem quidem & Doctrinam publicè laudare poſſum, ac debeo; Humanitatem etiam privatim. Ecce ſcribis, affectum promis, & honorem ſtudiis meis habitum is, tanquàm tua agnoſcas. Attollor ecce, quia dignus tam bonâ amicitiâ cenſeor: quia quem docti omnes in pulcherrimis monumentis, ego in litteris ad me miſſis lego. Ergò lucem capio, & ſuaviſſimâ voluptate fruor: perfundor amoris tui radiis, ut ſi ingenio meo nequeam, tuo beneficio inclareſcam. Sed Vrbes & Regiones illuſtras; quidni & Amicum poſſis? Sæcula caligine liberas; quidni & hominem unum? quem profectò, quia tuum, etiam felicem reddis. De

Fratre

Fratre nihil dico: talis eſt, ut ſi tu permittas, vocare fratrem velim. Quare in contubernio meo ſic erit, tanquàm & in ingenio meo ſit: pars non Laris tantum, ſed animi: quem conſecratum tibi volo. Vale.

EPISTOLA LXXIV.

Lucemburgum.

ÆGIDIO BEVETIO,

Quæſtori Regio.

AFfectum meum ut æſtimes rogo: id enim ago, ut tuum merear. Beneficiũ petiturus, ignotus eſſe non debeo; ſed non amari, id verè eſt non noſci. Siquid Litteris tribuendum, eas tracto; in tuum quoque conferre honorem paratus, ut verè amare videar. Virtutis & Fortunæ à teipſo ornamenta habes: illa Famæ aliunde admittes. Et quid pulchrius, quàm in ore & oculis hominum eſſe, cùm ipſa vita

pulchra est, laude digna, à labe aliena? Vt aurum splendeat, die & Sole opus: ut Virtus & Fortuna, encomio, velut jubare. Sanè quicquid in obscuro est, propemodum non est: nam quia ignoratur, sterilem fructum privatâ duntaxat voluptate abscondit. Tu quæ agis publica sunt; & quia benè prudenterque agis, celebrari digna. Ego an id possim, nescio: conabor saltem, quasi possim. Sed posteritas cùm intelliget, tuo quoque favore Litteras stetisse, de reliquis Virtutibus non dubitabit. Sic nunc igitur tanquàm non ignotus, peto beneficium: & tanquàm amatus, exspecto. Beneficium, sed pecuniarium; ab Amplissimis Ordinibus ante annos aliquot promissum, ante menses decretum. Quicquid id est, meum appellare non possum; nisi acceptum humanitati tuæ referam. Moram deprecor, quæ

Quæsto-

Quæſtoribus ſolennis eſt, facies numerando, quod fecerunt Ordines; donabis. Vale.

EPISTOLA LXXV.

Antuerpiam.

CAROLO COTTÆ

Suo.

ACcepi munus, metalli pretio & ſplendore pulchrum; quod apud me velut animi tui cimelium ſanctè conſervabitur. Suavius interdum vinum erit, ſic hauſtum; quia non magis mero, quàm amore tui nutriar, quoties bibam. Tanquàm aurum, tanquàm vinum, COTTÆ mei nomen erit, & ſuaviſſimam vitæ morumque imaginem ingeret. Tu verò etiam poſt munus, mittes interdum ad nos animum, mittes ſermonem; quem cùm non audiam, legam. Linguæ officium manus uſurpabit. Sed

quod

quod exigo, præſtare ipſe cupio: atque hoc nunc auſpicium eſt. Auſpicium, inquam, ſalutis, & gratiæ, ab amico, & vero. Quemadmodum dare munus, quàm accipere majus eſt: ita, ut liberalitati tuæ par ſim, audebo gratus eſſe. Gratus autem, ſi beneficium æſtimem. Ita quia debebo ſemper, ſemper dare videberis, quod ſemel accepi. Vale, & uberiores à me litteras exſpecta, ſed robuſtiore. Valetudo enim vacillabat. Mei ſalutem apprecantur. Iterum vale.

EPISTOLA LXXVI.

Bruxellam.

HENRICO LANCELOTTO,

Ordinis Eremit. D. Auguſtini Theologo.

PRæclarum doctrinæ, prudentiæ, pietatis tuæ teſtimonium hoc munus eſt, quo cenſuram non unius

unius Provinciæ geres. Videbit Germania virum, dignum majoribus etiam infulis: & jam retinere volet, quem ſemel vidit: ſed nos repetemus, quem inviti dimittimus. Redibis ad Belgas, quia tuos; nuſquam magis colendus, quàm à tuis. Erit hîc etiam quod luſtres cenſeaſque, quod reſtituas ac regas, ſi Germaniæ fatum ad ipſum uſque Oceanum extendatur. Tuum erit, victoriarum ſequi veſtigia: erigere pietatis trophæa, ubicumque Hæreſis cadet. Cadet autem, aut me omnia fallunt, & quæ mare proximum tenuit, ſuis in aquis ſepelietur. Coactæ ſunt copiæ, στρατηλάτης, ſed ille ἀσφαλὴς venit: non ſine bello tantus apparatus erit. Hem, quando vincemus, ſi jam non pugnabimus? Diſcent tandem adverſarii majores Regis vires eſſe, quàm ut contemni poſſint. Paci cedere noluerunt; armis cedent, quia potentio-

tentioribus: cedent Deo; is pugnabit, imò is vincet, priusquàm pugnaturi sumus, & ad conditiones summam belli deducet. Tu feliciter abi, celeriter perfice quæ agenda sunt, ut tempestivè nobis adsis, & pari potestate mox Bataviam adeas. Voveo, & ut prosperum iter sit! Quod ad amicos attinet, nullos in urbibus illis, quas nominas, habeo: quidni alioquin libenter scripturus, occasione tam amicè oblatâ? Hoc age igitur, & tuos mihi concilia. Mei erunt, si intelligent, tuam à me doctrinam, prudentiam, pietatem maximè coli. Vale.

EPISTOLA LXXVII.

Gotham.

IOANNI WEITZIO, V. C.

GEminâ, mi WEITZI, scriptione rapuisti hunc animum: adstrictâ, & solutâ. Sentio, sentio vincula ingenii tui; & magis etiam amo-

amoris. Sed verè oſtendis te doctum eſſe, qui tam benignus es; qui poſtquàm accuſare me ſilentii poteras, novis maluiſti litteris provocare. Quid dicam igitur? Humanitati tuæ obnoxius ſum, omnem paratus amoris legem atq; arbitrium ſubire. Vnde ſi pertinaciori ἀπροσηγορίας vitio peccaſſe videor, tuâ malo veniâ, quàm meâ excuſatione pœnam declinare. Hoc quoque amoris eſt, peccanti ignoſcere; gratiuſque officium, quod poſt delictum venit. Silentium, delictum eſt: ſcribere debui, quia provocatus. Magis nunc debeo, quia ſilui. Sed crede: delictum in ſupplicium commutatum eſt. Crucior animi, atque vereri incipio, ne, quem tam humaniter compellaſti, inhumanum judices, atque adeò ſuperbiæ vicinum. Ego verò, ſi quiſquam mortalium, à gemino hoc vitio alienus ſum, φιλανθρωπίας & modeſtiæ

deſtiæ candidatus. Quid homine dignius, quàm ſe hominem noſſe? corporis & ſimul ingenii imbecillitatem expendere? Nihil ſumus, parum ſcimus; & ut quis multa diſcat, plura tamen ignorabit. Alios opinio, alios error mergit: nemo tam felix, ut totam mentis caliginem diſcutiat, ut ſine fumo flammulam ingenii accendat. Quantò minores cælo ſumus! & hoc tamen nubes ſub ſe noctesque ſuas, ut ſic dicam, habet; ſerenum, ut interdum inhorreſcat. Inſaniæ τεκμήριον eſt, hominem, cùm miſer ſit, ſuperbum eſſe; cùm cæcus, in mediis quodammodo Cimmeriis diem moliri. Si hic litterarum fructus eſt, malo rudis & indoctus eſſe, & tranquillo fato ignorari. Tibi, Clariſſimè VVEITZI notus ſum, & obſcurus eſſe non poſſum: tu me amare perge, & non perituros famæ radios inveniam. Perge, inquam, ut cœpiſti,

piſti,

pisti, non me tantùm, sed & filios tibi meos mancipaturus. Tenelli adhuc sunt, sed robustum jam affectum conceperunt. Tui sunt, ut me esse dixi, & pulcherrimo carmine tuo excitati, hoc jam sedulò agunt, ut gratiam aliquam referant. Vale.

EPISTOLA LXXVIII.

Lugdunum Bat.

PETRO SCRIVERIO, V.C.

ET Doctrinam & Humanitatem tuam, Vir Clarissime, αἰδέομαι περὶ κῆρι. Doctrinam, quâ æternus es, & de omnibus bene sæculis mereris: Humanitatem, cujus in me radios peculiari affectu derivas. Alia aliàs à te munera, nunc Martialem, & Senecam Tragicum accepi: aurum, inquam, tuis gemmis exornatum. Luces igitur tuis, mi SCRIVERI, gemmis, magnoque ingenii pretio, quod exornas aurum, tuum facis. An satis? & me

tuum. Hunc nexum non agnoſco tantùm, ſed profiteor; daturus in poſterum operam, ne ignorare videar, cui obſtrictus ſim. Nunc geminum iſtud συντιγμάτιον cape: alterum De Pecuniâ, alterum De Stipendio Romano. Si hæc verò ratio placet, ſcire licet, quantum habuerint, qui potentiſſimi; quantum meruerint, qui bellicoſiſſimi olim fuerunt. Tamen quaſi præter modum hactenus liberales fuerint Viri Docti, Martis inprimis miraberis præmia, ad noſtræ quaſi militiæ modum accîſa eſſe & imminuta. Nulla hodie ſint, ut pacem habeamus! Pacem, inquam, pacem, poſt inducias, quæ à barbarie ad humanitatem ducit animos, & ſuaviſſimo amicitiæ fructu beat. Sed nos tamen, ſi novo omnia bello inhorreſcant, Litterarum cauſsâ inter nos amemus, non ſenſuri publicè arma, ſi ſtudia privatim amplectemur.

mur. Ego quidem sic animatus sum, & ero, dum ero, ut tuus semper sim, & frui ingenii tui monumentis pergam. Sic vale.

EPISTOLA LXXIX.

Bruxellam.

IO. IACOBO CHIFFLETIO, V. C.

ACcepi munus, & ingenio tuo, & liberalitate pretiosum. Civitatem donas, hanc scripsisti: & donare potes, auctor, & sic velut conditor es. Nimirum gubernare Vrbem, tibi satis non erat; illustrare, imò tuam facere voluisti, ut sic omnium, & mea quoque esset; magis autem libera, quia omnium, quia mea. Scimus, te docente tandem, quâ origine libertas vestra constet, quo se capite Sequani jactent. Sed obsecro, cùm ob unum servatum civem corona olim data

sit; ob civitatem, quæ te præmia manent? Vt quamdiu Civitas erit, lauderis, coroneris semper, & cum Duillio illo Romano, imaginem quotidie usurpes perpetui Triumphi. Arx te Regia exspectat, ego voco. Venies, rebus compositis, & in Palladis sinu respirabis. Hauriet illa radium aliquem, & gaudebit excepisse virum, qui populos urbesq; claras reddit: ego quem amo & suspicio, coràm venerabor. Vale.

EPISTOLA LXXX.

Antuerpiam.

GEORGIO OSSELINSKY,
Regis Poloniæ ad Magnæ Britanniæ Regem Legato.

INgens hoc humanitatis signum est, Illustrissime Vir, adhuc in mente tibi Puteanum esse, Litterarum alloquio dignum adhuc censeri. Equidem glorior, & me felicem

cem dico. Nam ut ſemper meus eſ-ſes, ſemel factus es: nunc oſtendis, quàm olim me amâris. Atque utinam igitur te videam, complectar, venerer coràm! In reditu id audebo ſperare: rogare quoque, vel Vrbis & Academiæ hujus cauſsâ. Indulge luminis tui jubar; & inviſe loca, quæ ſtudiorum ſcio cauſsâ ſemper tibi cara erunt. Oſtende te creviſſe: hinc ſemina aliqua ſunt. Virtutibus inclytus es, qui honores omnes ſtirpe & nobilitate promerueras. Sed Legatum eſſe, à Rege ad Regem mitti, nónne eximium eſt? Sanè prudentiâ tuâ, & facundiâ opus erat, ut ardua quæque negotia rectè tractarentur; ut apud prudentem, facundum imò doctum orares. Ita dico, & gloriæ cultum Magno Magnæ Britanniæ Regi tribuo: quem à me tamen læſum eſſe, falsò nuper aliqui ſuſpicati. Mihi omnia ſceptra ſacra ſunt: omnem

adoro Purpuram : & quidni illam ſapientiâ fulgentem? Ecce de famâ meâ actitatum eſt : & hanc nunc humanitati tuæ commendo. Noſti, & prorſus exploratum habes intimum affectum meum, quo luculentiſſimas ingenii dotes in eo ſemper Rege colui, quem philoſophari potuiſſe, magis poſteritas admirabitur. Vale: & quem olim audiſti, ama; quem amaſti, nunc obſtrictum habe.

EPISTOLA LXXXI.

Dolam.

ANTONIO BRVNO, V.C.

NOvo, ſed ingenti theſauro divitiæ meæ creſcunt, Elegantiſſime Virorum, quem manu & mente advehis. Amor ille tuus eruditionis theſaurus eſt, & me opulentum facit: bonorum cumulus, tanquàm ſapientiâ muniar. Ruat in me fortuna ſævior, lætus ſemper

ero:

ero: minetur calumnia, clarus esse non desinam. Quia tuum me vocas, tua me involvet virtus, & majorem omni fortunâ faciet; imò tua me extollet fama, & terram, tenebras, tempestatem ignorabo. Orestis illud apud Euripidem usurpare libet:

Φεῦ, οὐκ ἔστι κρεῖσσον, ἢ φίλος σαφής.

Tu tamen sic ad me scribis, non quasi deferas amicitiam, sed quasi ambias, blandiente quadam famæ aurâ impulsus. Nimirum ut bis humanus esses; & tui dissimulando ingenii dotes, quas non sine miraculo possides, & transferendo in amicum, quas dissimulas. Quæ enim ista verba sunt? BRVNVM *in collactaneis infantium consenescere*; PVTEANVM *inter Summos Palladis mystas esse?* Ingenuè dicam: aut erras, aut deceptus es; & hoc potiùs. Nam profectò CHIFFLETII Achatis tui exemplum, quàm tuum se-

qui judicium maluisti. Ille amare se ostendit: nefas tu putasti, eundem affectum non usurpare. Ego verò illum amo, quia amore dignum invenio: te invenio, quidni amem? Leve hoc verbum est: colere, & venerari pergam, novos semper thesauros inventurus. Scin' etiam? Solem omnes æstimamus, sed serenum cupimus: tu quoque fac extra doloris nubem nobis luceas. Vale.

EPISTOLA LXXXII.

Antuerpiam.

CAROLO COTTÆ

Suo.

VEgetum me jam litteræ tuæ robustumque invenerunt, etsi minùs otiosum. Sic vivo, ut occupari semper debeam; imò si occupor, ut similis nihil agenti sim, & nunquam tamen non impediar.

Quic-

Quicquid ſit, ſepono omnia, & tanquàm vacuam ad te manum feram, ſcribo. Etenim tam amicè provocas, ut non poſſit ſine piaculo ſilentium eſſe; non ſine inhumanitate dilatio. Sed obſecro, cur non familiariùs mecum? Non litteras, ſed delicias mittis, & cùm nimis Scriptionem meam extollis, agnoſcere non videris quàm facili & familiari calamo utar. Hoc eſt profectò loqui, laborem non adhibere; hoc eſt amare, ſine pompâ loqui. Sermo omnis meus nudus eſt: ſi pulcher tamen, naturam repræſentat. Malo, ut omnia dicam, candidus, quàm ornatus eſſe; Amici perſonam, quàm docti in epiſtolâ ſuſtinere. Et nónne ſatis doctus, qui amicus eſt? qui, ubi alii laborant, ludit? Laudare noli, quod nimis facilè præſto; æſtimare noli, quod debeo; denique rogare noli, quod cupio. Oris officium nemo benefi-

 cium

cium putat: at ego tanquàm loquar, ſcribo: ideoque viciſſim elegantiſſimâ facilitate tuâ capior. Vt excurras rogo, imò ut paulliſper etiam apud nos ſis, ſed amœnitatis cauſsâ. Non longa via eſt: mox Antuerpiam recurras, in Italiam tempeſtivè profecturus. Carmen hoc vide: bonum, an malum ſit, neſcio: ego tamen tanquàm non malum mitto; tu fortaſſis, quia meum, bonum dices. Vale.

EPISTOLA LXXXIII.

Coloniam Vbiorum.

HERMANNO MYLIO,

Celeberrimo V.

ANte dies pauculos litteras tuas accepi, Celeberrime Vir, & oblatam eſſe occaſionem gaviſus ſum, quâ & mererer affectũ tuum, & meum explicarem. Sed profectò facilis inter bonos amicitia eſt:

MYLIVM

MYLIVM te esse, hoc satis, ut omnibus notus, mihi etiam carus sis; cùm sciam nec virtutem, nec doctrinam ab hoc nomine abesse. Vnde quemadmodum compellari suave est: ita occupari, amicum puto. Et quantillum hoc onus? Non equidem queam ad beneficium libentiorem aut manum, aut operam extendere. Verumenimverò non tam felix, quàm promptus fui. IVSTEMONTIVS enim ille in his oris inveniri non potuit: fuisse autem alii indicant, sed in Galliam, & inde fortassis in Italiam discessisse. Fasciculum igitur remitto. Post Serenissimi Principis nostri mortem quid de pace aut induciis sperandum sit, nescio. Coactæ sunt nubes, novam daturæ tempestatem, nisi Deus avertat. Hic te, mi MYLI, servet. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXIV.

Ruræmundam.

HENRICO BONERO

Suo.

PEtaſatus ille non tulit ad me litteras tuas, mi BONERE, ſed miſit. Scribo igitur, ut ſi veniat, meas inveniat. Votum tuum eſt, ut me videas audiaſque: & meum, ut viciſſim te, poſt tantum intervallum. Suave erit, totius itineris ſucceſſum, quæ triſtia, quæ læta acciderunt, intelligere. Et nónne utraque hîc fortuna ludit? Sed hoc eſt peregrinari. Iactâtus es, ut magis patriam ames; incidiſti in malos, ut ipſe ſemper bonus ſis, & ſubſidia vitæ in virtute ponas; denique luſtraſti Italiam, ut ubique eam habeas, ſi ut doctior, prudentior, melior evaderes, luſtraſti. Nunc quid agis? Quiete & otio frui potes; ſed

ſed profectò τὸ ἐργάσεσθαι ἄμεινον. Moribus deinceps & vitæ ratione oſtendes, quid hactenus egeris. Breviter σπουδαῖος eſto, illud Pythagoræ dogma ante oculos ſemper habeto, quod aureum planè eſt, dignum publicè proponi : Δεῖ φυγαδεύειν πάντῃ τρόπον καὶ ἐκκόπτειν τὴν νόσον ἀπὸ τοῦ σώματος, τὴν ἀπαιδευσίαν ἀπὸ τῆς ψυχῆς, τὴν ἀσέλγειαν ἀπὸ γαστρὸς, τὴν στάσιν ἀπὸ πόλεως, τὴν διαφωνίαν ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ κοινῇ ἀπὸ πάντων τὸ ἀκρατές. Si & Latinè vis, adjicio : *Fugare modis omnibus oportet & reſecare, morbum à corpore, inſcitiam ab animo, libidinem à ventre, ſeditionem à civitate, diſcordiam à familiâ: in ſummâ, intemperantiam ab omnibus.* Plura non ſcribo : te amo, viſurus, ſi temporis ratio, quæ adhuc dubia, permittet. Vale.

EPISTOLA LXXXV.

Lutetiam.

PETRO BERTIO, V. C.

NOmen tuum ut vidi, Clarissime Vir, exosculatus sum. Nolo amoris materiam à laude colligere: Virtus cùm encomium superat, rectiùs colitur, quàm extollitur. Parvus admodum & obscurus sim, nisi magnitudinem & lumen famæ tuæ intelligam. Exsurgo ipse, ut intelligere videar, quia tam benignas ultrò ad me litteras mittis. Sic scribis verò, non tantùm ut esse te Amicum ostendas; sed & fuisse priusquàm scriberes: tanquàm pergas, non incipias. Quare vinculum amicitiæ voto tuo metior. Quoties mittere voluisti litteras, accepi; & ex quo amari cœpi, compellatus sum. Qui amoris caussâ non scribit,

nec

nec ſcribit : imò quiſquis amat, ſcribit. Præſtantiſſima ſimul expendo ingenii tui monumenta : quicquid publicè legi, ſcriptum mihi cenſui; idem erudientis, & amantis officium eſſe. Studiorum conjunctionem nónne agnoſcis ? agnoſcis animorum. Religionis nónne acceſſit ? hæc jam muta eſſe non poteſt. Mittis epiſtolam, ſed officioſam; teſtaris animum, ſed ſincerum; commendas adoleſcentem, ſed affectu tuo dignum. Amo epiſtolam, æſtimo animum, exſpecto adoleſcentem; quia bonæ indolis, quia boni Patris filium, denique quia à te commendatum. Cum filiis meis erit, & ſic tanquàm filius: iis etiam conditionibus, eo ſumptu, quem circumſcribis. De Galliæ rebus, ad tranquillitatem inclinatis, libenter audivi: noſtrę pôſt obitum Optimi Principis nutare videbantur. In regimine nihil mutatum.

Copiæ,

Copiæ, nuper coactæ, educuntur, ni fallor, dividendæ. Quid si igitur pars in tutelam provinciarum nostrarum & finium eant, pars in Palatinatum? Nisi conficiamus bellum, ubi cœptum erat, malè incipiamus, ubi resederat. Adhuc quiescent Batavi, si non lacessentur: Germaniæ autem fatum Iuliacenses & Clivenses mox involvet, pacemque Belgis faciliorem dabit, aut bellum Regi nostro felicius. Sed hæc in Dei manu sunt, qui te, Clarissime BERTI, valentem vegetumque diu servet. Vale.

EPISTOLA LXXXVI.

Lovanii.

Serenissimo Principi

WOLFGANGO WILHELMO, DVCI NEOBVRGICO.

ALbo hunc diem calculo notavi, quia ad tam benignum affatum

tum admissus, Serenissimam tuam vocem, quæ aliquid homine majus habet, haurire potui. Æstiment alii alia: hoc mihi maximi instar beneficii est, tam familiariter habitum esse, quasi aliquem jam amoris locum occupem. Quia igitur loqui ausus sum, sermonem sine voce formo, sed tanquàm adhuc loquar: imò mitto sermonem, quem Historiæ caussâ de Io. Iac. Medicæo nuper stilo expressi, cùm res ab eo circa lacum Larium gestas enarrarem. Si admittes, Serenissime Princeps, libellum, ingenii mei specimen consignatum erit: si leges quoque, novam jam ipse Medicævs vitam videbitur adipisci. Arcem saltem lustrare, injucundum fortassè non erit: quam & ipsam offero, sed descriptam. Nihil amœnius hoc loco esse, & asseverare ego audeo, & ipsi Principes nostri Albertvs & Isabella confessi sunt: sed

an aliquid loci, id eſt amœnitatis, ſtilus, ſive deſcriptio habeat, Serenitas tua judicabit: cui cultum meum obſequiumque nunc etiam calamo devoveo. Vale.

EPISTOLA LXXXVII.

Montes Hannoniæ.

FRANCISCO WITEBORTIO,

Conſiliario Regio.

CAlamum ſumpſeram, ut ſcriberem; & ecce alteræ tuæ redditæ ſunt; quæ veniam iterum, ubi nulla fuit culpa, poſcunt. Siccine apud me? Laxo tibi pectus meum, ut merum candorem videas. Et an ullus ſuſpicioni locus ſit? Populi mores Amicitia noſtra non reſpicit, nec ſuperfluis ullis officiorum deliciis alligatur. Excuſare præproperum diſceſſum tuum potui, priuſquàm ſcriberes: te amare vellem, licet peccares. Sed hoc in te

verbum

verbum non cadit. Animi rectus es, & quemadmodum in publicis virum te ostendis; ita in omnibus tui similis es, non frustrà nuper plenis à communi amico nostro elogiis affectus. Quantum igitur Virtute tuâ ille vitiorum osor delectatur, tantum ego Reipublicæ & Iustitiæ gratulor: quam administras, non sines vacillare. Tuum erit, ut cum Homero dicam, αἰὲν ἀριστεύειν, viam sic etiam sternere ad altiora. Non hîc consistunt vota nostra. Ex Academiâ dimissus es, ut in Curiâ aliquando summus esses; radios deinde famæ tuæ ad Academiam remitteres. Non ubique ridet forum, scio. Sed amœnitatem in te semper invenies. Interdum ad litteras quoque, velut delicias eundum est: colligendus animus, ut in Curiâ & curâ vegetus sit, sine tristitiâ severus. Cùm Litteras commendo, me simul insinuo; ut quoties

 lætus

lætus eris, Puteanum tuum cogites; quoties tristis, studia admittas. Etiam in meis hanc quoque mixturam sequor. Seria velut per ludum tracto; & ludo, tanquàm seriò occuper. Specimen videbis Enchiridion Ethicum, in quo una fortassis parvitas, tanquàm pravitas offendet, si oculis magis, quàm animis legetur. Sic verè homines aliqui hodie sunt: vasta omnia, & pænè inania æstimant; & sui frequenter obliviscuntur. Sed quantò pulchrius, vel in parvis magnum esse: cùm in magnis suis plerique parvi sint; mole, non pretio æstimandi. Ingenium ostendere, quàm laborem Antiquitas maluit, ad famam quàm ad lucrum niti. Nunc profectò, quia in quæstu doctrina est, ingenium instrumentum lucri factum est. Nolo plura; & hæc fortassis nimia sunt. Vale cum suavissimâ conjuge, & liberis.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.

Bruxellam.

PHILIPPO CHIFFLETIO,

Suo.

QVàm ingeniosus es, mi CHIFFLETI, tam me profectò amas: nisi potiùs ἀντιστρόφως, quàm me amas, tam ingeniosus es. An hinc in cælum transiisti? nam homine majus est quod scribis. Sic Dii loquuntur, sic Apollo canit. Atque ego istis laudibus, velut alis subvehor, ex Arce meâ ad astra tua feror. Hinc despicio quicquid depressum jacet, quicquid popularis auræ inconstantiâ atque improbitate volutatur. Et quidni serenus sim? infra me voluisti nubes esse: quidni cælum tangam? Deo vicinus sum. Tuum ingenium, mihi velut numen erit; tuum Carmen, velut palladium; tuum ἀποβατήριον, divinum

omnino munus. Et quid amplius dare potuisti? Vt igitur omnes sciant, quàm ingeniosus sis, videant quàm me ames; imò ut sciant quàm me ames, videant quàm ingeniosus sis. Ego abscondi hunc thesaurum, aut privatum esse non patiar. Vale, & feliciter abi, qui non abis; me ubique inventurus.

EPISTOLA LXXXIX.

Antuerpiam.

FRANCISCO SWERTIO, V. C.

IN Grotianâ hac SILVA, mi SWERTI, videntur omnia esse. Quæ doctrinæ varietas & copia! quæ sermonis gratia & majestas! Vt omnia etiam dicam, μυστικῶν ὅδε μῦθος. Qui ignorant hunc virum, hinc noscant, ut fateantur, quod nomen indicat, verè Magnum esse, & totâ Apollinis luce splendere. Scripsit autem ad me Epistolam nuper, quam ego thesauri loco habeo,

beo,tu pariter tanquàm aurũ admireris. Quòd si exemplar cupis,mittam. Benignus autẽ in me VECTIANVS tuus est, qui cùm exigere Amorem possit,mavult petere, & ut ampliùs me obstringat, verecundè. Malè me humanum putat, si ad gratiam & benevolentiæ munia difficilem. Ecce patet animus hic meus, & tanquàm mare, recipio omnes amnes. Mare, sed tranquillum,& perpetuo velut oleo perfusum : amnes,sed puros,& à virtutis & doctrinæ fontibus defluentes. Quid dicam? vehit virtutem ipsam & Doctrinam VECTIANVS : & qui à BARBERINO venit, à miraculo venit nostri ævi. Amabit verò παῤῥησίαν meam,qui φιλίαν ambit: ego, ut ostendam quàm amari velim; non peto Amorem,sed exigo.Vale, & ab ipso jam bello uberiorem deinceps scribendi materiam sume.

EPISTOLA XC.

Mediolanum.

RAPHAELI MONTORFANO

Suo.

SEpius, mi MONTORFANE, epistolam tuam legi: satis enim non erat, semel sermonem Illustrissimi BORROMÆI haurire. Sic quæ ille dixit, scribis; ut quæ scribis, ille dicere rursus videatur. O linguam! ô calamum! illam dicentis! hunc scribentis! Nullam inquiro, aut per dactyliothecas dispono gemmam; sed profectò hæc à manu tuâ, ab ore Antistitis gemma est, & sola thesaurum facit. Ecce candor meus illustratur; & an alio ad veram famam lumine opus? Illustratur à Sole; & an noctem timeam? Abeant, qui offundere tenebras conati: obscurari dies nequit. Egóne, ut in illam Purpuram, id est in

ipsam

ipſam virtutem, pietatem, doctrinam, aliquid non dicam ſtilo, ſed vel cogitatione deſignem? tum profectò extremus omnium mortalium ſim, hac communi luce & vitâ indignus. Miror mi MONTORFANE, miror, inveniri homines, qui improbis figmentis ſe oblectent; qui Chriſtianæ officium pietatis violare malint, quàm mihi non obeſſe. Nemini gravis ſum: quid me lædunt? bene de omnibus mereri ſtudeo: quid tam malè gratiam referunt? Si hæc innocentiæ & candoris præmia ſunt, traduci, oppugnari, configi: me etiamnunc petant. Nomen mihi BORROMÆI munimentum eſt: amorem ejus vel his malis merebor. Sic igitur ſecurus ſum; pluriſq; facio non agnoſci in me culpam ullam, quàm ſi accuſatus non eſſem. Vale, & hoc age, ut viciſſim intelligat Magnus Antiſtes, quantum non modò jam

amori ejus, ſed & judicio debeam. Quid enim? teſtari judicio voluit, minui amorem non poſſe. Iterum vale.

EPISTOLA XCI.

Antuerpiam.

ARNOLDO CATHIO,
Societatis IESV *Theologo.*

QVomodò ſatis candidiſſimum amabo pectus tuum, mi Pater? Quia abes, qui ſemper tamen ades, quid amiſerim deprehendo. Veniunt quidem in vicem ſcriptiunculæ mutuæ: ſed illæ neſcio quid infra ſermonem habeant. Loqui ſuaviſſimum eſt; oculis uſurpare quem audis, audire quem amas. Te audio tamen, cùm tam nitidè & Romanè ſcribis; te video, cùm ſic lego. Prorſus animam litteræ tuæ habent; vivunt enim & ſpirant. Te habent: an jam abſentem

tem dicam? Ergò & ſpectavi quæ iſtîc ſolenniter acta ſunt, imò verè obſtupui. Hem, etiam lapides & ſaxa ad numeros moveri! ad cytharæ ſonum in templum exſtrui? Mira hæc, mira ſunt: & alia interim ſcripſi; illa DIVÆ ASPRICOLLIS, non infelici, niſi ipſe mihi blandior, ſtilo. Specimen vis? ecce adjungo. Aut fallor, aut hoc pietatis auſpicio fama reliquis quoque libris veniet. Senecæ locum divino ingenio tuo cedo: tuam amplector cenſuram, meam negligo. Et quid hoc eſt? laudare amicum, cùm poſſis reprehendere? tu plus quàm laudas: & quo fine? ut oſtendas quàm ames. Suave hoc mihi. Admitto laudem, quæ amoris cauſsâ tribuitur: laudem enim tanquàm Amoris teſſeram accipio. Vale.

EPISTOLA XCII.

Cliviam.

ELBERTO PALLANTIO,
Decano Clivensi.

POst longum tandem intervallum scribo, & humanitati tuæ molestus sum: illud meâ, hoc alienâ caussâ; & tamen velut meâ. Sanè debeo scriptionis officium, ut quantũ mereatur ingenium tuum, intelligere videar: usurpo molestiam, ut ipse bene de propinquis meis merear. Nosti, nisi fallor, INGENRADIUM sororis meæ maritum. Is filium majorem natu ERYCIUM habet, meo nomine: & hoc satis, ut intelligas è sacro fonte mihi, ut sic dicam, adoptatum. Gaudeo factum: egregiè adolevit; studia & vitam omni dignam favore componit, & sic ad sacram togam dignitatemq; jure aspirat. Ego quod à me

me non possum, per amicos molior: & quia in potestate tuâ est conferre, quod multi ambire solent, ecce accedo, & pro illo meo intercedo. Ajunt autem Lothemii nescio quod templi munus vacuum esse. Prensare audeo, & candidatum tibi sistere juvenem, in quo aliquid esse mei; quemadmodum nomen indicat, ita indoles ostendit. Sanè tanquàm ipse accipiam beneficium, debebo: & sic peto, tanquàm libenter collaturus sis. De rebus meis, studiis, statu, velim plura: nunc impediebar. Video profectò amplius nunc esse scribere, quàm humanitati molestum esse. Vale.

EPISTOLA XCIII.

ADRIANO STALPAERTIO,

Abbati Tongerloënsi.

TAnquàm prorsùs ego tuus sim, voluit hic tuus à me commendari.

dari. Scribo igitur, & liberior, quia ille me talem facit. Cæterùm quod humanitatis munus est, & petenti impenditur, pia facilitas tua excusabit: judicabit prudentia, an impendi debeat. Promittit ille omnia, quæ bonum promereri affectum possint. Tanti est, vel beneficio experiri, an bonâ fide promittat. Plura, si adsim (atque utinam adsim!) dicam: vel fortassis audiam, quæ sermonem quoque abrumpant. Quare si capax beneficii hic tuus est, aut erit; satis hæc quæ scripsi: si non, nimia quoque. Ego sanè, quemadmodum tuus esse cupio; ita commendare ausus sum, qui se tuum dicit. Fortassis novo affectu novoque favore voles hunc tuum esse, ut esse me ostendas. Vale, & sic me ama, ut excuses: sic excusa, ut magis etiam ames.

EPISTOLA XCIV.

Bruxellam.

IOANNI STRIGELIO

Suo.

NOva quę accepi, reddo, & obstrictum me significo. Germanica sunt, & hoc satis, ut placere intelligas. Mirum enim in modum, tam masculo sermone, id est vernaculo tuo, delector. Res quidem ipsæ hoc etiam genio sunt, ac licet non omnino ubique in favorem melioris caussæ; aperiunt tamen, quid securiùs credamus. Minùs fallunt, qui infra verum nostra nobis narrant, quàm qui excedunt: tutiusq; attollimus creduli fidem, quàm demittimus. Rogo igitur, ut ceu Germanum me habeas, vel certè facias. Tanquàm sim, peto, quæ Germanicè in posterum legam; tanquàm fieri velim, legam

quæ

quæ peto. Tuum erit, ostendere quanti ipse linguam tuam æstimes, si amico eam indulseris; vel amicum, si dignum pulcherrimo idiomate censebis. Mitte igitur, mitte, quæ deinceps me delectent linguæ caussâ, & instruant rerum varietate: ego quæ accipiam reddam statim, sæpiusq; me obstrictum significabo. Vale.

EPISTOLA XCV.

Mediolanum.

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E. *Cardinali*, *Archiepiscopo Mediolanensi.*

QVasi ipsemet adsim, sacramque Purpurã tuam venerer, hujus viri & Amici mei ore loquar. Vnus ille è paucis est, CAROLVS COTTA, qui Genti & genio suo junxit, quicquid in Belgis admirantur Itali, aut amant. Etiam in domo & contu-

contubernio meo fuit, sermonum imò cogitationum particeps : eâ modestiâ & candore, ut Belgam dicas; eâ prudentiâ morumque cultu, ut Italum agnoscas. Neminem vidi, qui magis diligeret Litteras, aut intelligeret, quo potissimum cultu inter homines homo emineret. Hinc tuas virtutes suspicit, & te unum admiratur, in quo præter fortunam & dignitatem animus maximus est; quia scientiis litterisque maximè exornatus. Admitte igitur, & audi virum : quicquid scribere possim, dicturus est, & Puteanum, quemadmodum animo conclusum gerit, sermone exprimet. Imò ama hunc virum, & ipse ego affectum tuum sentiam. Quid moror? Admittis, audis, amas : & sic loqui jam desino, ut incipiam. Vale.

EPISTOLA XCVI.

Bruxellam.

HENRICO HIVÆO,

Ordinis Augustiniani Theologo.

MAgnificum Academię nostrę Rectorem & calamo, & ore interpellavi. Satis enim non fuit scribere, nisi insimul loquerer. Interpellavi, sed ut bis quid non possem intelligerem. Etenim Suadæ meæ Themidem ille suam opposuit, & rigorem juris; quem non quidem facinore ullo, sed quâdam pervicaciâ in se adolescens hic provocâvit: reus ideò, quia esse noluit; dignus severitate, quia auctoritatem contempsit. Hac de re jam ipsum scripsisse Iudicem opinor: qui ne omnino commendationem meam rejiceret, officiosè indicare voluit, cur non admitteret. Vtinam verò hoc jam exemplo reliqua ju-

ventus

ventus ſapiat! utinam plures mentem Litteris malint, quàm nugis, ne dicam vitiis, occupare! Vt vita & mores quorundam ſunt, pænè elegantia eſt, elegantias ignorare. Negotium, in otio & Scholâ diffluere.

Πολλοὶ σχολὴν ἄγουσιν εἰς τὰ χείρονα.
Ne igitur inter τοὺς πολλοὺς Vnus hic deinceps cenſeatur, cenſura iſta faciet: pluris autem id erit, quàm ſi plenam libertatem Rector indulgeat. Vale.

EPISTOLA XCVII.

Venlonam.

IOANNI PVTEANO,
Fratri ſuo.

PHiloſophari incipio, & paullatim faſtidire, quæ ſine me perire poſſunt; quæ otioſa, aut non neceſſaria ſunt. Etiam libri ad hanc frugalitatem venient, quos è multis

meis ſeligo, ut paucos, & ſic bonos habeam; imò ſi fieri poſſit, nullos. Quam Bibliothecam Socrates habuit? nullam, niſi quam formaret ipſe, & ſapientiſſimus tamen eſſe potuit. Quam Diogenes? nullam: ut careret omnibus, in dolio habitavit. Quam tot alii, quorum doctrinam admiramur? nullam: ſine libris philoſophati ſunt: ipſi, ut ſic dicam, libri, & ſic liberi. Quid igitur? non habebo Bibliothecam, ut maximè habeam, & maximè meam. Habebo, quam ſcripſi ipſe, & quam (ſi Deus permittet) ſcripturus ſum. Sanè ut ſciam quàm dives ſim, operum meorum jam quoque Catalogum condo, quem publicum typis faciam. Omnes videant volo, otioſum me in otio meo non fuiſſe. Hi theſauri mei ſunt, nec fortunæ obnoxii: his vivam, quando nulla aliorum quorundam, ſolis qui ſe nummis extollunt,

tollunt, memoria durabit: imò his incipiam vivere, quando multi moriuntur; de quibus dubites quoque, an vixerint. Vale, & ut vivas, philoſophari mecum incipe: ut omnia habeas, faſtidire, quæ ſine te pereunt. Iterum vale.

EPISTOLA XCVIII.

VVeſemaliam.

IOANNI RESIMONTIO,

Paſtori VVeſemalienſi.

QVi fui, eſſe pergo, ampliuſque puto, conſtantem, quàm Amicum eſſe; cùm revera nemo Amicus, niſi qui conſtans ſit. Tuus me olim candor cepit, ſæpiuſque deinde non uno humanitatis officio obſtrinxit. Seviſti affectum, & ne intermori poſſit, alis ac foves. At ego interim quàm cupidus, tam felix non fui, ut in virum optimè de me meritum reciproca benevo-

lentiæ ſigna regererem. Rogare igitur audeo, ut cùm ad Vrbem venies, nos viſas; imò ut vel ideo venias. Fortaſſe nec injucundum putabis, poſt aliquot annos Puteanum tuum videre; videre Arcem, in quâ totius jam anni amœnitas ridet. Vt ſcias quo animo ſcribam, Carmen iſtud mittere volui, quod in honorem Tutelaris veſtri & ſcripſi extempore, & typis mandavi. Id cùm legi in templo VVeſemalienſi patieris, videbor ipſe preces coràm fundere, & ſummum patientiæ exemplum publicè venerari. Vale.

EPISTOLA XCIX.

Lutetiam.

DIONYSIO GVERINO,
Medico.

TE amo, & ſilere potui; ſed negotio, morbo, itinere, aliterq; impeditus. Amo, inquam, ſic in me profuſum, imò in libros quoſdam meos,

meos, & ingenii labores. An ſic vocem tamen? conatus potiùs, ſive impetus ætatis & ſtili. Nondum quæ perdiſcenda erant, didiceram omnia; & docere ac ſcribere aggreſſus ſum: ſed quàm multa adhuc ignorem, magis magiſque incipio deprehendere. Pergo tamen docere, pergo ſcribere, annis quidem jam provectior; ſed ut ampliùs ignorantiam, homini agnatam, oſtendam. Felix interim, quòd tibi Docto, Claro, Probo, ſic etiam non diſpliceam: occupaturus tuo elogio Docti, Clari, Probi nomen, quia non diſpliceo. Et quidni igitur te, ut dixi, amem? Sed accuſo ipſe ſilentium meum, ut verè amare videar: accuſo manum, quia animum non expreſſit. Vide autem, mi GVERINE: augeo epiſtolam, & libellum adjungo; qui non unam ipſo argumento epiſtolam faciet, ac ſilentium delebit. Vale.

EPISTOLA C.

Antuerpiam.

IOANNI BRANTIO, V. C. & *Graphiario.*

SIccine igitur ELMENHORSTIVS noster, vivere desiit? Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς. Occupavit vitam, & sic nunquam moriturus. Sed quàm multa interrupta, atque impedita hærent! quibus ille manum aut adhibuerat, aut destinaverat, non profectò vilem aut plebejam. Testis Apulejus, nitidè doctèque editus, tuisque imprimis NOTIS pulcherrimè insignitus. His, mi BRANTI, primus debebatur locus: nam meæ duntaxat Variæ quædam Lectiones sunt; in quibus nihil ingenii, parum eruditionis. Invenient pretium, quia cum tuis ponuntur; imò amittent rursus, quia anteponuntur. In hoc

erravit

erravit ELMENHORSTIVS (ignoscant mihi Manes ejus) cineres thesaurum putavit. Quid tamen est? non erraſſe videri poteſt. Optima voluit prima, & ultima eſſe. Pauca & viliora in ventrem libri, ut ſic dicam, abdidit. Itaque quemadmodum bene ille de Mileſiarum Scriptore, ita & tu meritus es, excepturus famam illius, quia vivis. Magnam jam partem Spicilegii tui legi: Spicilegii, quo vel meſſem facias. Sed malo hæc apud alios. Tu vive, mi BRANTI, me amare perge, & permitte, ut inter prima nomina tuum colam. Vive, inquam, & vale.

FINIS.

CENSVRA.

HAs Epistolas, ab ERYCIO PVTEANO *facili & perelegantí, humanæq; ac officiosæ mentis affectus suaviter exprimente stilo conscriptas, publicâ luce dignas censeo. Datum Lovanii 7. Eidus Majas 1635.*

ANTONIVS LOVERIVS,
S. T. Licent. Apost. & Regius Librorum Censor.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Diplomate suo sanxit, Nequis ERYCI PVTEANI, Consiliarii, & Historiographi, nec non Professoris sui in Academiâ Lovaniensi, Libros, à legitimo Censore approbatos, intra quindecim annos, præter ipsius voluntatem, vel typis suis excudat, vel alibi excusos in has Germaniæ Inferioris ditiones venales inferat. Qui secùs faxit, præter exemplarium confiscationem, triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ, XIV. Februarii, M. DC. XXII.

Signat

Le Comte.

CAV-